VINDICIÆ CONCILII LATERANENSIS MAGNI,

A contumelijs & imposturis IOANNIS COSENI, Angli, Theologiæ Doctoris, Protestantium Parisijs degentium Ministri.

Authore THOMA VANE, Anglo, Theologiæ Doctore.

2. Tim. 3. 13.
Mali autem homines, & seductores proficiunt in peius, errantes, & in errorem mittentes.



PARISIIS,
Apud ÆGIDIVM BLAIZOT, propè portam sancti Marcelli.

M. DC. L.

Cum Permißione & Approbatione.



EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D. CARDINALI ROMA.

QVOD *vinea Dei auita, Ecclesia scilicet Judaica* (Eminentissime ac Reuerendissime Domine) *olim accidit, vt ingruente diaboli malitia, vulpes & apri, cæteraque feræ, impij nimirum & hæretici eam paulatim deuastauerint; de quibus*

Rex David verbis hiſce & ſimilibus ægerrimè queritatur; Exterminauit eam aper de ſilua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam; *id omnium temporum decurſu, Eccleſiæ noſtræ Chriſtianæ contigiſſe, & experimur & querimur. Exemplo eſto impræſentiarum Coſenus hic, qui peruertendis Catholicis, ſtudium quotidie ſuum nauare non deſiſtit: & ſicut Scribæ & Phariſæi à Saluatore culpati,* Claudit regnum cælorum ante homines, ipſe non intrat, nec introeuntes ſinit intrare: *atque hoc, non verbis ſolis ſed ſcriptis; verbis tamen & ſcriptis malè compoſitis; quæ ſuperbiam ſapiunt non grauitatem, vanitatem non veritatem: quibus tamen ignorantes & in-*

conſtantes eludit, & mendaciorum ſuorum trophæa, ſibi, & eorum patri diabolo erigit. Has feras captas vult Deus, dicens, Capite mihi vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas: *Capere autem eſt vel conuertere, vel refutare; hic verò conuerti cùm recuſauit, reſiduum eſt vt refutetur. Et quanquam operis huius molem, quantitate licèt perpuſillam, ingenij mei tenuitas commodè ſuſtinere nequeat, non rebus modò arduis ſed minimis quidem impar; tamen cum libellus hic ſuus ſermone anglicano exaratus fuerit, ab officij mei ratione, qui Anglus ſum, (dum alij digniores hominibus piſcandis ſuam nauant operam) atrocem hanc feram ve-*

nari, non alienum eſſe duxi. Quæ non vna eſt beſtia, ſed multiformis chimera, quæ omnes omnium ferarum qualitates prauas complectitur. Atque hanc, qualis qualis ſit, veritatis laqueis ei iniectis, in vinea noſtra deprehendi.

Nec cuiquam ſatiùs aut concinniùs opuſculum hoc offerre me poſſe exiſtimaui, quàm Eminentiæ ſuæ; *tam* Suæ *ratione, quam mei.* Suæ *quidem, vtpote quæ fidei Catholicæ propagandæ propugnandæque, necnon morum caſtigatorum, in hac ætate decliui, inſtaurandorum, ſummo deſiderio flagrat. Cuius etiam dignitas, vt Eccleſiæ Pater & Princeps, protectionem rerum Eccleſiaſticarum, contra eius hoſtes infeſtiſſimos,*

optimo iure vendicat : & cuius nomen ipſum, Concilij Romæ habiti patrocinio, affabrè concinnatur. Mei verò ratione, quippe qui Eminentiæ ſuæ *omnibus nominibus deuinctus ſum, quæ me ſumma cum humanitate charitateque Romæ recepit, ac dimiſit; & adhuc ſingulari ſua beneuolentia me meóſque proſequitur.*

Nec mihi magno vitio vertendum eſſe ſpero, quod libellum adeo exiguum Eminentiæ ſuæ *obtuli, cùm Deus ipſe dona noſtra nulla ob exiguitatem reſpuit, ſi ſaltem facultatibus, & rei natæ proportionem ſeruent. Et quoniam aut in ingratitudinis vitium mihi prolabendum eſſet, nihil offerendo; aut audaciæ, nimis exiguum;*

hoc quàm illud eligendum potiùs eſſe exiſtimaui; vtpote quod citiùs, quia minus malum, veniam obtinebit. Quod totum illud eſt, quod hac in re expetitur ab

Eminentiæ ſuæ

Humillimo, deuinctiſſimo, addictiſſimoque cliente

THO. VANE



LIBELLVS COSENI.

DE CONCILIO GENERALI Lateranensi Magno, sub Innocentio tertio celebrato, Ann. Dom. 1215. quod Maximum *&* Celeberrimum *nuncupatur.*



AXIMVM quidem, eò quòd numerus octingentorum Abbatum ac Priorum (qui nullis in Conciliis gaudebant suffragiis, nisi ex speciali Papæ priuilegio) duplo maior esset numero Episcoporum.

Celiberrimum verò, quòd vbique terrarum celebre fuerit ob hoc vnum, valdè notatu dignum, tot nempe viros inani studio conuenisse: conuenisse quidem, at nihil egisse.

De hoc itaque tam magno tamque celebri Concilio, ita profatur Platina, (qui ipsi summo Pontifici fuit ab epistolis) in vita Innocentij tertij. *Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quod & Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certarent: eò itaque proficiscens tollendæ discordiæ causa Pontifex, Perusij moritur.*

In idem recidunt verba Mathæi Parisiensis (qui, eâdem quâ conuocatum est hoc Concilium tempestate, floruit) in *Historia* sua *minori*. *Concilium illud Generale, quod more papali, grandia primâ fronte præ se tulit, in risum & scomma desijt; quo Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, omnesque ad id Concilium accedentes, ludificatus est.* (Post discessum quippe Pontificis, ad sedandos tumultus inter Genuenses Pisanosque exortos, nihil actum est.) *Et cum nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad se cupidi, veniam sigillatim petierunt. Quibus Papa non concessit, antequam sibi grandem pecuniam promisissent; quam à mercatoribus romanis accipere mutuò, Papæque soluere*

coacti sunt, antequam discedere Roma potuissent. Papa iam, accepta pecunia, quæstuosum Concilium dissoluit gratis, totusque Clerus abijt tristis.

Multa insuper sunt, quæ nobis prætenti huius Magni Concilij auctoritatem, meritò suspectam reddant.

1. Nam primò, priusquam illud Cochlæus in lucem edidit, nusquam extabat; nec ita tamen pridem ab eo editum fuit; anno nimirum 1538. Tribus duntaxat retro annis, cum Merlinus suam Conciliorum collectionem in lucem edidit, nullum tale Concilium illi occurrit, vnde nec in illius editione continetur. At Cochlæus (vir non adeo probatæ fidei, quique multa in scribendo Lutheri vitam finxisse deprehenditur) asserit, se huius Concilij decreta ex peruetusto codice deprompsisse; sed vndenam hunc codicem acquisiuerit, quisue illius author, aut cuius tandem ponderis fuerit, ne gry quidem. Verisimile est, non alium fuisse hunc peruetustum codicem, quàm volumen Decretalium, in quo sparsim hic illic continentur, ea quæ ab ipso in hoc Concilio statuta esse perhibentur.

Hæc fragmenta credo Cochlæum, aut alium quempiam in vnum collegisse, & in formam Concilijque modum compaginasse. Forma tamen ita rudi & impolita, vt multoties ipsum se prodat genuinum non esse, nec ex aliquo probato exemplari desumptum.

2. Quis etenim sibi animum inducere poterit vt credat, fieri posse, vt Concilium hoc Lateranense, decretis canonibusque ibi sancitis, Concilium Lateranense citaret? id est, seipsum citaret, non tanquam Concilium tunc temporis sedens, sed multis retro annis (aut saltem aliquot) habitum? Aliorum quidem Conciliorum huiusmodi solet esse loquendi formula; *Hæc Sancta Synodus decernit*; siue, *Placuit huic Sanctæ Synodo*; quæ verba sessionem sonant, iam tunc cùm statuta feruntur, superstitem. At Concilium hoc Lateranense de seipso loquitur tanquam de alio quopiam Lateranensi Concilio, ab eo quod tunc celebratum fuit longe diuerso; vnde vocibus vtitur, *Fuit, & noscitur fuisse*, tanquam de decretis antea latis; idque variis in locis, non minus quàm sexies; semel

cap. 11. bis cap. 29. ter capitibus 33. 46. 61. *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum. De multa prouidentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum. Deuoluatur collatio secundum statutum Lateranensis Concilij. Et in Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum.* Ecquis hæc verba ipsius Concilij Lateranensis esse crediderit?

3. Huic igitur turpitudini, quasi fuco quodam, mederi nititur Cochlæus, hac coniectura, (in proæmio huius Concilij à Crabo edito) fuisse nempè hæc decreta in vnum collecta, inque ordinem quo ab illo exhibentur redacta, per ipsummet Innocentium Papam, aliquo post absolutum Concilium temporis interuallo. In quem finem, tria capitula dicti Concilij citat, (de eorum numero quorum superius mentionem fecimus) additque, lectorem facili negotio idem deprehensurum. At quisnam prudens lector æquo animo feret, Concilij decreta aliquo temporis curriculo post eius dissolutionem conscribi? Moris semper erat Conciliis, sua quæque decreta scriptis mandare, nec finem prius imponi fas

erat, quam illis etiam eſſet ſubſcriptũ. Sed neque Innocentius Papa rerum agendarum adeò imperitus erat, vt ipſam Synodum Lateranenſem in hunc modum loquentem introduceret; *In Lateranenſi Concilio noſcitur fuiſſe prohibitum:* vel, *Fiat hoc, ſecundum quod prouiſum eſt in Lateranenſi Concilio, &c.* Quod genus orationis multum abhorret à vulgari ſtylo viaque loquendi, quoties alicui Synodo de ſeipſa ſermo habetur. Neque hoc Innocentium tertium vllo modo latere potuit.

4. Conſultiſſimum itaque erit, Platinæ verbis acquieſcere: *Non eſt decretum ibi quicquam: non potuit ibi decerni quicquam. Improbauit Innocentius ipſe Abbatis Ioachim libellum, damnauit ipſe Almericum.* Dicit non fuiſſe Concilium Lateranenſe quod ad eos condemnandos decreta tulit, ſed Innocentium ipſum fuiſſe qui eos condemnauit. Et appoſitè concludere poſſimus, cùm hæc tùm alia, *de quibus nihil decerni potuit in Concilio*, ab ipſo Papa in ſuis Decretalibus deſcripta fuiſſe; vnde hos canones decerpſit, quiſquis ille fuit qui primus eos in Cõcilij formam redegit.

5. Tertius etenim huius Concilij canon (de excõmnnicatione Principum secularium, déque potestate papali eorum subditos à vinculo fidelitatis absoluendi, eosq; regnis & principatibus spoliandi) de numero Extrauagantium est, cap. 13. de Hæreticis, id est, Ipsius Innocentij Decretum, non verò Concilij Lateranensis, *vbi nihil decerni potuit.*

6. Sic Canone 71. (qui est de recuperanda de Saracenorum manibus terra sancta, qua de re Concilium hoc imprimis conuocatũ fuit,) collector stylo vtitur Pontificibus, non Concilijs vsitato. *Ad liberandam* (inquit) *terram sanctam de manibus impiorum, sacro Concilio approbante definimus, &c.* Neque simile quicquam in Concilio definitum fuit; vt cùm Cardinalis Bellarminus (aduersus Apolog. Regis Iacobi) tum Eudæmon Cidonius (in sua parall. Torti & Tortur.) Platinam secuti, fatentur.

7. Quisquis igitur ille fuit qui hæc duo decreta, de subditis à vinculo fidelitatis absoluendis, déq; recuperanda è Saracenorum manibus terra sancta sanciuit, idem etiam iure censendus est

author istius Canonis, *de transubstantiatione*, qui tot in orbe tragœdias excitauit, & ob quem, Concilium hoc toties *Maximum omnium*, *Generale*, & *Celeberrimum* proclamatur.

8. Verum enimuerò, quicunque primus Conciliū hoc Generale siue composuit, siue illud postmodum in lucem edendum curauit, eumque Generalis Concilij titulo insigniuit, haud certè partes suas vsquequaque calluisse videtur. Fieri enim nullatenus mehercle potest, vt inter septimum & octauum Generale Conciliū, aliud Concilium Generale intrudatur, præcipuè si magnum adeò ac generale fuerit, vt asseritur; quod tamen huic Concilio accidere necessum est. Nam secundum Nicenum, septimum Generale numeratur, quod anno 787. celebratū fuit. Octauum verò locum sibi vendicat Florentinum an. 1449. habitum; vti clarè liquet ex his verbis, sessioni eius vltimæ subinsertis: *Finis octaui Concilij Generalis factus est* 21. *Iulij*, *&c.* Adeò vt nisi duo Concilia Generalia octaua constituerint, hoc nullum esse posse patebit.

9. Præterea, si vniuersale fuit hoc Concilium, vnde factum est, vt illius canones nunquam fuerint vniuersaliter recepti? quemadmodum apud nos, in Ecclesia Regnóque Anglicano, nunquam fuisse constat: quod secus procul dubio accidisset, si tunc temporis, Concilium illud, Vniuersalis Concilij famam obtinuisset, aut illius canones, sub eo nomine, per terrarum orbem diuulgati fuissent. At apud nos in Anglia, ab eo ipso tempore, & contra eius canonem prætentum 46. mos inualuit, vt subsidia Regi soluerentur, *inconsulto Pontifice.* Et aduersus canonem 41. nobiscum *currit præscriptio,* quantumuis multoties *ex bona fide ortum non habeat.* Iterumque, *Clericorum bona qui de hæresi conuicti sunt, non in vsum Ecclesiæ,* sed fisco Regis constantissimè addicta sunt, quidquid in appositum faciat prætenti Concilij canon tertius.

10. Denique vix crediderim, probatam vllam historiam, ad astruendum huius prætenti Concilij titulum, proferri posse, Patriarchas Hierosolymitanum & Constantinopolitanum, &

septuaginta insuper Metropolitanos ei interfuisse: quanquam neque illud sat erit, ad Vniuersalis Concilij nomen ac dignitatem huic conciliandum, ob absentiam nimirum reliquorum Patriarcharum, Antiocheni & Alexandrini, quos interfuisse non fertur.

Vt vt se res habet, *Nihil ibi actum, quod quidem constet*; adeò vt non modò non vniuersale, sed ne Concilium quidem omnino fuit.

En (Lector amice) totum Coseni discursum, inconscisso orationis filo tibi exhibitum; quem ad memoriæ leuamen, eorumque quæ dicenda sunt expressiorem intelligentiam, in tot ferè sectiones partiemur, quot ab ipso prænotati sunt illius articuli, quibus singulis suam seorsim responsionem subiiciemus.

VINDICIÆ



VINDICIÆ CONCILII LATERANENSIS MAGNI.

COSENVS.



AXIMVM quidem, eò quòd numerus octingentorum Abbatum ac Priorum (qui nullis in Conciliis gaudebant suffragiis, nisi ex speciali Papæ priuilegio) duplo maior esset numero Episcoporum.

Celeberrimum verò, quòd vbique terrarum celebre fuerit, ob hoc vnum valdè notatu dignum, tot nempe viros inani studio conuenisse: conuenisse quidem, at nihil egisse.

De hoc itaque tam magno támque celebri Concilio, ita profatur Platina,

(qui ipsi summo Pontifici fuit ab epistolis) in vita Innocentij tertij. *Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quod & Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certarent: eò itaque proficiscens tollendæ discordiæ causa Pontifex, Perusij moritur.*

In idem recidunt verba Mathæi Parisiensis, (qui, eâdem quâ conuocatum est hoc Concilium tempestate, floruit) in *historia* sua *minori*. *Concilium illud Generale, quod more papali, grandia prima fronte præ se tulit, in risum & scomma desiit, quo Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos, omnésque ad id Concilium accedentes, ludificatus est.* (Post discessum quippe Pontificis, ad sedandos tumultus inter Genuenses Pisanósque exortos, nihil actum est.) *Et cum nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad sua cupidi, veniam sigillatim petierunt. Quibus Papa non concessit, antequam sibi grandem pecuniam promisissent, quam à mercatoribus Romanis prius accipere mutuò, Papæque soluere coacti sunt, antequam discedere Roma potuissent. Papa iam*

acceptâ pecuniâ, quæstuosum Concilium dissoluit gratis, totúsque Clerus abijt tristis.

RESPONSIO.

M*Aximum*, inquis vocabatur, *eò quòd numerus octingentorum Abbatum ac Priorum, (qui nullis in Concilijs gaudebant suffragijs, nisi ex singulari Papæ priuilegio) duplo maior esset numero Episcoporum.* Verum est, iure eum *Maximum* vocatum esse ob hanc etiam rationem, quamuis non ob eam solam: numerus quippè suffragantium, non modò Episcoporum, qui potestatem hanc iure communi sortiuntur, verùm etiam Abbatum ac Priorum, qui eam Summi Pontificis condonatione concessúque acquirunt, ad Concilij magnitudinem plurimum momenti confert. Hoc tamen concesso, magnitudinem scilicet huius Concilij, numero Episcoporum solo dimetiendam, quot quæso maiora Concilia numerabis? certè paucissima; ideóque hoc non immeritò *Maximi* titulo insigniri possit. *Celeberrimi* quoque, non ob hoc quod

ais, tot nempè viros conueniſſe & nihil egiſſe, ſed quòd Ipſe Summus Pontifex ei intereſſet, necnon duo Patriarchæ, reliqui verò duo per Legatos: quemadmodum per Oratores ſuos aderant Græcorum & Romanorum Imperatores, Reges Franciæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Hieruſalem, Cypri, cum multis aliis, prout inferius demonſtrabitur. Quòd ſi nihil agere honorificum adeò ſit, vt ea de cauſa alicui debeatur titulus noménque *Celeberrimi*, profectò non dubito quin hæ tuæ obiectiones, poſtquam luculenter innoteſcerint, communi omnium ſuffragio *celeberrimæ* ſint iudicandæ,

Addis ſubinde, Platinam (cuius verba refers) *ipſi Summo Pontifici fuiſſe ab Epiſtolis:* quod vel planè abs re facis, vel vt innuas eum, ea de cauſa, fuiſſe rei geſtæ peritiorem, aut hiſtoricum fideliorem, aut vtrumque. Prior quidem inſinuatio non incõgrua fuiſſet, ſi Platina dicto munere perfunctus fuiſſet, illi Summo Pontifici ſub quo Concilium hoc celebratum fuit; quo te collimaſſe cuiuis obuium eſt, quandoquidem clauſulam illam tanti ponderis

parentheſi interpoſuiſti. At certo certius eſt, eum multis poſt hoc Concilium annis natum fuiſſe, ac obiiſſe anno 1481. teſte Trithemio de Scriptoribus Eccleſiaſticis, prout in operibus Platinæ refertur, pagina quæ eſt ante Epiſtolam proxima: inter quem annum, & dicti Concilij celebrationem, ducentorum ſexaginta annorum ſpatium fluxiſſe reperitur. Captioſa igitur eſt ac veteratoria hæc tua obſeruatio. Vel ſi re verâ, non animo alios decipiendi, ſed ipſemet deceptus hæc effutiſti, te præ ſcripturiendi pruritu, veritatis parcum indagatorem eſſe manifeſtè oſtendis. Quòd ſi verum eſſet, fuiſſe eum *ipſi Pontifici* (vt maioris energiæ gratia exprimis) ab epiſtolis; attamen non tanti ponderis eſſet eius auctoritas, vt tot aliis grauiſſimis viris, quos oppidò oſtendam diuerſa penitus ab his quæ tu illi tribuis cenſuiſſe, præponderare deberet. Neque tandem ipſe Platina illud in præiudicium huius Concilij aſſerit, quod tu erroneè eum docentem inducis; vt ex dicendis etiam liquidò conſtabit. Quòd autem ad fidem eius in enarrando ſpectat, non

arbitror eam tibi magis probatam videri, eò quòd ais fuisse eum *ipsi* Pontifici ab epistolis: non vtique qui de grege tuo sunt, Summo Pontifici tantum honoris ac venerationis deferre solent.

Sed vt ad eius verba veniamus: perperàm ea intelligis: nam quod ipse ait, *nec decerni tamen quicquam apertè potuit*, tu generatim de omni proposito negotio interpretaris; re tamen verâ ad illud tantum caput referendum est, de recuperanda terra sancta; vt hæc antecedanea verba, à te fraudulenter resecta, manifestè indicant: *At Pontifex vbi videret Saracenorum potentiam in Asia concrescere, apud Lateranum maximum Concilium celebrat, venêre multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quod & Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certabant.* Hæc igitur verba, *nec decerni tamen quicquam apertè potuit*, ad summum, ad negotium illud particulare de transmittendis in terram sanctam suppetiis, ac coërcenda Saracenorum in Asia tyrannide, nec ad aliud quicquam sunt re-

ferenda. Quòd autem nihil ea de re decerni potuit, in causa erant memorata bella, quæ sanciendis aliis Canonibus impedimento esse nequaquam potuerunt.

Et sicut constat, vt plurimum, hunc Platinæ sensum fuisse, nimirum nihil actum esse quod ad bellum istud spectabat, proindéque textum hunc nihil è re tua facere, qui exinde singulos huius Concilij canones eneruare conaris; ita non minus certum est, eum (si vel hæc eius sententia fuerit) nonnihil in hac parte à veritatis tramite aberrasse; etenim de destinandis terræ sanctæ subsidiis deliberatum ac statutum esse, fidem certissimam facit Decretum Expeditionis in calce canonum appositum, de cuius veritate pluribus agetur inferius. Immò verò Platinam Decretum illud Expeditionis ne negasse quidem relatis verbis, *nec decerni tamen quicquam apertè potuit*, verisimile admodum redditur, eò quòd tunc simpliciter dixisset, *nec decerni quicquam potuit*: additio verò illius particulæ, *apertè*, aliquid decretum esse, licet non apertè, non obscurè subindicat. Et

certè non nihil decretum esse, ex iis quæ dicturus sum, luce meridiana clarius apparebit: quid verò sibi volunt hæc verba *non apertè* in eo quod decretum fuit, non apertum est. Fortasse nomine decreti, illius executionem significat, ac si dicat, nihil aperto Marte contra Turcas actum esse, quicquid in eos clam & per insidias gestum sit. Qui si verborum eius sensus sit, (quemadmodum necessum est, si eorum veritati consulere velimus) asserendum est, ea quidem nimis obscura esse, tibi verò parum admodum propitia.

At Nauclerus huic obscuritati facem præbet, tibi oculos ex aduerso ferientem: de hoc ipso quippè negotio agens, ac ad reliqua quod spectat, eadem Platinæ verba proferens, vice particulæ illius *apertè*, hanc non multum dissimilem *aptè* vsurpat: *nec* (inquit) *decerni quicquam aptè potuit quòd & Pisani & Genuenses, &c.* scilicet, ingruente iam tunc bello in Europa; & verbis proximè subsequentibus (quæ te faucibus premunt, nihil ibi actum esse asserentem) subiungit, *editæ tamen nonnullæ constitutiones referuntur.*

Ad *hiſtoriam* autem *minorem* Mathæi Pariſienſis quod attinet, certè in volumine omnium eius operum, tum maiorum, tum minorum, vbi de tempore huius Concilij aut Pontificis agitur, haud quicquam ſimile his quæ à te referuntur occurrit. Quòd ſi tibi animus fuiſſet, textum hunc æquo examini ſubiiciendi, leuius mihi vtique onus impoſuiſſes, quàm illum per integram hiſtoriam, ſiue maiorem ſiue minorem perſcrutandi, (maximè cùm ex eo, cardo controuerſiæ noſtræ dependeat) niſi plus mihi negotij, quàm huiuſmodi controuerſiarum ſcriptorem cordatum decet, faceſſere ſtatuiſſes: quod identidem in ſubſequentibus à te factum reperio. Attamen ſi verba hæc, *& cum nihil geri in tanto negotio cernerent*, quæ ſola inſtituto tuo fauent, verè apud authorem illum reperiantur, dicendum eſt, eum de Expeditione in terram ſanctam locutum eſſe, id eſt, de illius effectu, non de Decreto ipſo, vt verbum illud, *geri*, ſuo ſignificatu æquè innuere poſſit. Quòd ſi ſecus ſentiret, profectò eum rei geſtæ veritatem minus aſſecutum eſſe mox oſtendetur:

quanquam enim eodem quo celebratum est hoc Concilium tempore vixit, loco tamen dissitissimo. Et verba quidem illa, *in tanto negotio*, rem aliquam, certam definitámque indigitant; quæ licèt multoties conuocandæ synodo occasionem præbeat, ita tamen vsu comparatum est, vt à Patribus iam in vnum commissis, alia plurima ad Ecclesiæ vtilitatem spectantia decerni soleant. Quamobrem etiamsi verum sit, nihil actum esse in magno illo negotio de bello Saracenis inferendo, nempè ob domestica Christianorum dissidia, valdè tamen à veritate alienum est, quod tu mirâ quidem audaciâ exinde deducis, nimirum non modò non Decretum Expeditionis, sed ne vllum quidem alium Canonem ab hoc Concilio fuisse sancitum: *conuenerunt*, inquis, *at nihil egerunt*; nec tu mehercle quicquam aduersus eos egisti.

Vt autem huiusce tui authoris fidem integritatémque magis perspectam habeas, perlege, si lubet, Annalium Baronij tomum vltimum, ad annum 1197. vbi Parisiensem hunc asserit, videri sibi non alio consilio historiam suam con-

P.877. C.

texuisse, quàm vt Romanos Pontifices calumniandi ansam aucuparetur. Ibidémque post recensitam ab eo fabulam, his verbis concludit: *Vidisti, Lector, Paris ingenium, animíque malè compositi malam sententiam, res fingere, verbáque formare indigna Romano Pontifice, & ab hoc vno tam patenti mendacio cætera discas, & caueas, videásque qua tunc sit homo fide dignus, cum totus sit in carpendis Romanæ Ecclesiæ Pontificibus.* Illius itaque criminatio, qua Papam à Concilij Patribus grandem pecuniæ summam pro redeundi libertate exegisse insimulat, vti primùm à tuo instituto prorsus aliena est, (quid enim Papæ auaritia ad euacuandos Concilij canones?) ita demum omni veritatis specie destituta videtur: ipse etenim Paris, publicis vt vidimus monumentis perstringitur, & calumniæ accusatur; at Innocentij tertij fama, tam doctrinâ quam moribus inuiolata, vbique vagatur. Nauclerus *virum* eum appellat *doctrina & moribus insignem.* Platina etiam in eius vita, *Constat,* inquit, *eum in quouis genere vitæ probatissimum fuisse, dignúmque qui inter sanctos Pontifices*

Naucler. vol. 2. pag. 876.

censeatur. Et rursus, verbis ab iis à te prolatis proximis, *cuius vita adeò probata fuit, vt post eius mortem nihil eorum quæ in vita egerit, laudauerit, improbauerítque immutatum est*. Cui ad amussim

Vol. 2. pag. 915. conuenit Nauclerus, addítque, *quin & religionis apprimè studiosus erat*. Tu verò susurro, quamlibet Summorum Pontificum æstimationem imminuendi ansam, patentibus vlnis amplecteris, quanquam veri non modò non similitudinem, sed ne quidem vmbram præ se ferat.

Iam verò falsissimum esse quod asseris, nihil nimirum omninò actum esse in hoc Concilio, qui scripti huiusce tui vnicus finis est, cuique astruendo Platinam ac Parisiensem obtorto quasi collo in medium protulisti, clarissimè ostendam. Imprimis authoritate Gregorij Papæ noni, qui huius Concilij celebrationis tempore vitam duxit, ac vndecim decursis annis ad Summum Pontificatum euectus est; is huius Concilij Decreta ad iuris Canonici corpus apponi iussit, qua in re, operâ & studio Raymundi vsus est, de quo Platina in hunc modum scribit; *Raymundum au-*

tem Barchionensem, quo adiutore in compilando libro Decretalium Gregorius vsus est[1], ita quidam tam laudant, vt maiori commendatione laudari nemo possit. Binius præterea, in vita Gregorij noni, hunc Raymundum à Clemente octauo in Sanctorum albo ascriptum fuisse testatur. In vita Greg. 9. fine. Ita Ann. Eccles. post Baron. to. 13. pag. 439. XV.

Deinde, id ipsum probo, grauissimorum illius ætatis Theologorum testimonio, Sancti Thomæ & Sancti Bonauenturæ, qui de præcepto annuæ confessionis sermonem habentes docent, Ecclesiam, necnon huius Concilij Patres, illius authores extitisse. S. Tho. 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 1. ad 3. S. Bonau. 4. sent. dist. 17. q. 2. arg 3.

Denique, authoritate Conc. Tridentini, quod dum de eodem præcepto loquitur, illud Magni Concilij Lateranensis constitutionem esse affirmat. Quódque huius Concilij acta semper in Ecclesia viguerint, ac pro genuinis nunquam non habita fuerint, hinc inde manifestè euincitur, quoniam à tempore Gregorij noni, eiúsq; iussu, in hunc vsque diem iure Canonico inserta permanserint. A quo etiam Pontifice, anno 1234. annis ab ipso celebrato Concilio vndeviginti, Conc. Trid. sess. 14. can. 8. Annal. Eccles. post Baron. to. 13. anno 1234. XV.

eorum collectio authoritate Apostolica comprobata est. Nec cuiquam alteri opportuna magis horum Canonum veritatem indagandi copia suppetebat; vtpotè qui in eo Concilio lata fuissent, cui præsidebat auunculus eius; in illa vrbe, in qua ipse paulo post ad Pontificatum euectus, tabulas omnes ac literarum monumenta, prompta & parata habebat. Multi insuper de eorum numero qui huic Synodo interfuere, tunc cùm hi Canones constituti sunt, adhuc in viuis superstites erant, qui proinde meliùs ac certiùs nosse poterant, quid in eo actum esset, quàm qui longius aberant, siue tempore, vt Platina, siue loco, vt Parisiensis; si tamen ab iis quicquam, quod huic veritati refragetur, dictum sit. Nec verisimile quidem est, potuisse, nedum voluisse Gregorium Papam, tot præsulibus & principibus suppositios canones obtrudere; nec Ecclesia Catholica, (cuius tunc res maximè agebatur) aut gestorum suorum æmuli, tam audax facinus silentio præteriissent.

Postremò, sancitos esse in hoc Concilio canonès, eósque etiam in Anglia

receptos fuisse, (quod tu sub finem libelli tui perfricta fronte negas) authoritate generalis Angliæ Concilij confirmatur; Oxonij à Stephano Cantuariensi Episcopo habiti, anno 1222. septem non nisi annis ab hoc Lateranensi, duodecim verò antequam dicti canones à Gregorio nono in Decretalibus digesti essent; vbi calce Concilij refertur: *Vt autem omnia sine bono concludantur, Lateranense Concilium sub sanctæ recordationis Papa Innocentio celebratum, in præstatione decimarum, & in alijs capitulis præcipimus obseruari.* Sed hæc minima pars eorum est, quæ aduersus hoc Concilium affers. Nam

Math. Paris. hist. ma. anno 1222.

Binij Concil. tom. 7. part. 2. fol. 8. 33.

COSENVS.

MVLTA insuper sunt, quæ nobis prætenti huius Magni Concilij auctoritatem meritò suspectam reddant.

Nam primò, priusquam illud Cochlæus in lucem edidit, nusquam extabat: nec ita tamen pridem ab eo editum fuit, anno nimirum 1538. Tribus duntaxat antea annis, Merlinus suam

Conciliorum collectionem cùm in lucem edidit, nullum tale Concilium illi occurrebat, vnde nec in illius editione continetur. At Cochlæus (vir non adeo probatæ fidei, quique multa in scribendo Lutheri vitam finxisse deprehenditur) asserit, se huius Concilij Decreta, ex peruetusto codice deprompsisse : sed vndenam hunc codicem acquisiuerit, quisve illius author, aut cuius tandem ponderis fuerit, ne gry quidem. Verisimile est, non alium fuisse hunc peruetustum codicem, quam Decretalium volumen, in quo sparsim hic illic continentur ea, quæ ab ipso in hoc Concilio statuta esse perhibentur. Hæc fragmenta, credo, Cochlæum aut alium quempiam in vnum collegisse, & in formam viámque Concilij compaginasse. Formâ tamen ita rudi ac impolitâ, vt multoties ipsum se prodat genuinum non esse, & ex aliquo probato exemplari desumptum.

RESPONSIO.

PErgis, & ais, *multa insuper esse quæ prætenti huius Concilij* (sic enim illud

illud modestiæ tuæ compellare lubet) *authoritatem meritò suspectam reddant.* Facilè mihi persuadeo, permulta quidem esse, quæ huius, aliorúmque Conciliorum vniuersalium authoritatem non modò suspicandi, verùm etiam penitus reiiciendi, sed inmeritò, tibi caussam præbeant. Non autem huius Concilij authoritatem, quæ illi cum reliquis omnibus, etiam à te agnitis, communis est, sed canonum potius ac constitutionum veritatem,, fidémque astipulatorum, tibi homini supra modum cauto ac sagaci, suspecta dixisses. Quæ si tibi ementita videantur, quantumuis vnanimi omnium per orbem orthodoxorum consensu, ac suffragiis comprobata sint, quid obsecro illorum astruendæ veritati par esse poterit? Num vnius ementiti Decanuli vox (qualis tua est) tot testiũ congeriem dissipabit? Enimverò, si Concilium istud tuo iudicio non nisi *prætentò* magnum habeatur, quod siue numerum spectes, siue personarum tum Ecclesiasticarum tum sæcularium, è quibus conflatum est conditionem, nulli alteri post hominum memoriam postponi debeat,, haud

ægrè inducar vt credam, lumen illud rationis quod cæteris hominibus à natura inditum est, tibi non nisi prætentè inesse. Annon Platina, *ipsi Summo Pontifici ab epistolis*, proximè post verba à te relata, disertè sic ait? *Pontifex apud Lateranum maximum Concilium celebrat.* An non etiam tuus ille Mathæus Parisiensis, vt quàm plurimos sanioris fidei testes prætermittam, illud *Generale* nominat? Quâ igitur fronte Concilium hoc Generale irrisoriè, nec nisi *prætentè Maximum* vocitare audes? Imò verò non modò non Generale, sed ne quidem Concilium omnino; vt sub finem huiusce tui scripti dicere non puduit? Tu scilicet formidabilis & horrendus ille Goliah es, qui solus integrum Israëlis exercitum prouocare non vereris; cui tamen quilibet pusillus Dauid, tuo ipsius gladio caput amputare valet.

Iam verò, illæ tuæ ratiunculæ, quibus veluti cuniculis, Concilij huius canones subuertere moliris, tam enerues sunt & elumbes, vt nihil nisi imperitiam tuam exploratam reddant. Quarum altera est, quod in Merlini editio-

ne, nulla huius Concilij mentio habeatur. At argumentum hoc parum firmamenti aut roboris habet; quandoquidem plurima alia Concilia extitisse constat, quæ tamen à Merlino prætermissa, postmodùm in lucem prodiere, quod nec ipsos credo Protestantes velle negare. Qualia fuere Nicenum secundum, quatuor Lateranensia, duo Lugduni, vnum Viennæ, vnum denique Florentiæ habita. Quod quidem Florentinum, post reliqua ab Authore illo recensita celebratum est, omniúmque nouissimum, octoginta tantùm annis editionem Merlini præcessit; cuius nihilominus acta, ab eo haud quaquam reperiri poterant: vel certè (quod non verisimile est) de industria prætermisit: quantò igitur facilius eum subterfugere poterat hoc Lateranense, trecentos retro annos conuocatum? Constat insuper, nec illius sæculi gentem Catholicam, nec Merlinum ipsum credidisse, omnia & singula Concilia ab eo collecta fuisse. Huius testis imprimis est Christianissimi Regis Diploma operi præfixum, tum etiam ipsius authoris verba, in epistola quæ secun-

do volumini præsternitur. Verba quidem Diplomatis regij sic se habent: *Concilia quæ in Ecclesia à temporibus Apostolorum, vsque ad concessum Basiliensem celebrata, potuerunt coaceruari.* Ex quibus, quamuis appareat edita fuisse quotquot coaceruari poterant, non tamen coaceruata fuisse quotquot vnquam extiterunt. Ipsius autem Merlini verba hæc sunt: *Nam si authentica, integra, solida, & à mendis expertia fuerint exemplaria, vnde hæc fideliter excerpta sunt, apprimè castigata sunt, pura, vera, & sincera quæ profero, suorum archetyporum quidem germanam conditionem præ se ferentia, quæ si grato animo tuleris, propediem confide ampliora nostris te sudoribus assecuturum.* Hinc etiam non minùs euidenter patet, ipsius authoris sententiâ, alia superfuisse Concilia quæ illius collectione nequaquam comprehensa fuerant. Iam verò videre nequeam, qua lege tibi liceat argumentari, ex eo quod nulla huius Concilij mentio habeatur, idcircò nullum tale vnquam extitisse: præsertim cum argumentum istud, non minore robore militet aduersus octo supra recensita

Concilia, quæ ab authore illo prætermiſſa notauimus.

Alterum cautiſſimæ ſuſpitionis tuæ fundamentum eſt, quod Cochlæus omnium primus Concilium hoc in lucem ediderit, idque vt ais, non ita pridem: vnde non ſolum hominem perſtringis, verum etiam tempus edendi. Ad perſonam Cochlæi quod attinet, eum non vſquequaque inconcuſſæ fidei perhibes; quod ne temerè dictum videatur, eum in ſcribendo Lutheri vitam plurima finxiſſe criminaris. Ad tempus quod ſpectat, ſummoperè tibi diſplicet editionis huius nouitas, quippè quæ nuperrimè in lucem prodiit, anno 1538. poſt editionē Merlinianam tribus videlicet aut eo ampliùs annis. Primò, dictorum veritatem perpendam, dein eorum vim & efficaſitatem. De editione huius, vel cuiuſlibet alterius Concilij à Cochlæo, ne verbum quidem vllum inter ſcriptores inueniré potui. Solus Bellarminus, libris controuerſiarum, eum in eorum numero reponit, qui de Conciliis ſcripſerunt; attamen nullam huius operis, libro ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, commemo-

rationem facit, vbi reliqua eius opera omnia ordine recenset: quod etiam hic Parisijs sedulò, sed incassum perquisiui. Vt autem cunque sit, non equidem video cur non illi, æquè ac Merlino fides sit adhibenda; quem Bellarminus, *virum doctissimum, & fidei Catholicæ propugnatorem eximium*, appellat. Imò verò tua potius, non modò vacillat, sed planè corruit fides, qui de hominis innocentis fama detrahere non erubescis; dum tuæ interim ferè innumeræ corruptiones, non in hoc modò, sed etiam in aliis tuis scriptis, manifestè redarguuntur. Quòd autem ais, eum plurima in scribendo Lutheri vitam finxisse, calumniarum altera pars est; quam sicuti probare non satagis, ita sine dubio nullatenus vales. Quanam etenim ratione, tu alterius arcana cordis, vnde oritur fictio, rimari poteris? Non inficias ibo eum in aliquibus errare potuisse, sed quòd error huiusmodi ab eius fictione manaret, & non magis ab eorum simili errore quorum hac in re testimoniis vsus est, tibi aliunde quàm suo ipsius ore compertum esse nequit: quod tamen à te nec hactenus

probatum est; imò nec omnino quicquam ab eo de Luthero scriptum esse, quod puriori veritati vllatenus aduersetur.

At verò hæc Cochlæi editio, etiam nouitatis gratia tibi in suspicionem venit; scilicet, quæ nuperrimè in lucem prodiit. Dic sodes, quid vocas nuperrimè? Anno inquis 1538. ab hinc certè duodecimo supra centesimum; quod quidem comparatè ad Apostolorum tempora, nuperum dici potest; si autem siue artis typographicæ, quæ non nisi ducentis plus minus annis primùm adinuenta est, siue vulgaris loquendi vsus habeatur ratio, neminem sanæ mentis futurum existimo, qui librum ante centum & duodecim annos typis mandatum, nuperrimè in lucem editum existimabit. Multò minùs hoc tibi, fas esse poterit, qui Merlini opus inter vetustiora reponis, quod tribus duntaxat annis, modò fallus es, illud alterum antiquitate superare. Paradoxi instar erit, Merlinum anno 1535. scribentem, inter veteres, Cochlæum verò anno 1638. inter recentiores scriptores annumerare. Num triennium, centum &

duodecim annis superadditum, tantæ molis esse poterit, vt hunc præ illo recentem reddat, eóque nomine, quod ais, suspectum? Sine dubio si quid hoc tuum argumentum in alterum valeat, in alterum etiam valebit: sicque de præcoci tua prudentia, Concilia omnia à Merlino edita, tibi in suspitionem venire poterunt. At ego in gratiam suspitionis tuæ hoc addam, Merlinum Concilia sua in lucem edidisse, anno 1524. vt ex vltimis totius operis verbis colligitur; adeò vt Cochlæi editio iuxta tuammet supputationem, quatuordecim planè annis editione Merlini tempore posterior fuit. Iámque vt tuum hoc qualecunque argumentum in te retorqueam, tantùm abest vt editionis Cochlæi nouitas, cuiquam imposturæ suspitionem creare debeat, vt contrà, nihil magis ad illius integritatem vindicandam faciat. Omnino etenim casu factum videtur, vt Concilia fuerint typis excusa; poterant sanè in hunc vsque diem manuscriptis obuoluta latuisse; num hoc illorum omnium fidem suspectam reddidisset? Annon potiùs hæc tua suspicio ingenij tui debilitatem ne

dicam suspectam, multò magis certam exploratámque reddidit? At verò postquam sic se res habuerit, vt subinde à variis authoribus summo studio ac industria publici iuris facta fuerint, quò certè hoc cõtigit recentiùs, eò æquum est credere emendatiora extitisse exemplaria. Multò etenim vberior hinc oritur copia, ex diuersorum textuum collatione, purum ac genuinum authoris sensum indagandi; sicque quotidiano ferè vsu experimur, posteriores librorum editiones (modò nihil debitæ curæ desideretur) castigatiores euadere. Nec enim te dicturum existimo, recentem operum sancti Ioannis Chrysostomi editionem, à nobilissimo viro Henrico Sauillo, Anglo, Equite Aurato dudum diuulgatã, ea de causa suspectam magis habendam esse. Adeò vt nulla suspicionis tuæ fundamento subest veritas, nec etiamsi verum hoc vltimum esset, æquum est vt suspicionis fundamentum habeatur.

Adiicis, Cochlæum asserere, *se huius Concilij decreta ex peruetusto codice deprompsisses at vndenam*, inquit, *hunc codicem adeptus sit, quisve illius author, aut*

cuius tandem nominis fuerit, nos certiores nequiquam facit. Cæterùm vt te in conijciendo nihilo minus fœlicem monstrares, quàm modò vidimus in suspicando, verisimile tibi videri dicis, peruetustum hunc codicem, illum ipsum fuisse Papæ Decretalium, vbi suppositij hi canones hic illic promiscuè sparguntur. De Cochlæo quidem nihil habeo quod reponam, cùm vt antea monui, hoc eius opus nullibi reperire queam; neque facilè credam, ex iis quæ superius dixi, eum vnquam opus tale edidisse. Interim do tibi vera esse quæ ex illo affers; quorsum autem ista, sanè non intelligo. Quòd enim ex peruetusto codice hos canones desumpserit, nonne plurimùm ei fauet? Quem codicem (si mihi tecum perinde coniecturis agere liceat) ipsissimum fuisse huius Concilij Archetypum spondere ausim: vndenam verò illud acquisiuerit tua non refert. Et hæc mea coniectura, epistolæ cuiusdam auctoritati velut stabili fundamento innititur, quam in editione Conciliorum à Crabo facta, huic (de quo sermo est) Concilio præfixam reperio; hoc titulo præ-

notatam: *Bartholomæus Laurentius Nouimagensis Lectori*, cuius fronte hæc habentur verba. *Hæc sunt quæ ex Archetypo illo, cuius supra mentio fit, lectu adeò difficili, summo labore descripsimus; quæ si cui grata & vtilia fuerint, primùm gratias agat Deo, qui horum qualecunque exemplar huc vsque seruauit: deinde F. Petro Crab, qui hoc ipsum vt inter Concilia ederetur procurauit.* Atque hæc forsitan præfatio illa est, quam tu infra memoras, eámque perperàm Cochlæo ascribis, aliam etenim nullam inuenio. Cuiuscunque demum sit, hinc apertè colligere licet, Concilij huius acta, (quę primùm quoad ego consequi possum, à Petro Crab diuulgata sunt,) ex primæuis monumētis deprompta fuisse, quo nihil ad eorum authoritatem stabiliendam neruosius excogitari potest. Vnde etiam inferius in eadem epistola subiungitur, *certè in editione hac sedulò curatum est, ne quicquam ei ab Archetypo alienum ingeri possit.* Et in hac quidem editione continetur Decretum illud Expeditionis, vnà cum reliquis quæ tu speciatim posthac tanto studio irrita reddere conaris: vnde &

obiectionibus illis prius respondetur, quibus tamen suo loco sigillatim dicetur. Age igitur concedamus tibi Decreta hæc è summorum Pontificum Decretalibus (perdito nempe Archetypo) collecta fuisse, (sicuti Canonibus primi Concilij Niceni accidisse fertur, vnde de illorum numero tanta est incertitudo) in quæ paulò post eorum constitutionem, à Gregorio nono, sub diuersis titulis inserta fuere, (quod tu contmeliosè hic illic spargi nuncupas,) adeò vt collectori variis ex locis ea repetere necesse fuerit, num obsecro hinc illorum violatur authoritas? His sanè summorum Pontificum Decretalibus omnes orthodoxi magnum semper honorem habuêre, quicquid tu impudenti illâ fragmentorum appellatione obgannias. Nec enim expectandum est Conciliorum hîc talem collectionem reperiri, vt suus cuique canoni seruetur ordo; sed potiùs quorumcumque Conciliorum eiusdem argumenti canonum, sub vno capite. dispositionem: collectionis illius instar, quâ à Rastallo & aliis, Statua regni Angliæ in diuersa eiusdem argu-

menti capita rediguntur, (è quibus si quis leges, regnante Elisabetha latas, conaretur extrahere, ex centum fortasse variis locis eruendæ forent) quam quidem optimè digestam viam, vix te existimo vagam ac temerariam dispersionem nuncupaturum. At hoc vulgare illud opprobrij genus est, quod in summum totius orbis Christiani Patrem ac Pastorem, ab iis ore sacrilego ingeri solet, quos vindex Deus ob funestum illud in Ecclesia conflatum schisma, instar Simeonis & Leui, *diuisit in Iacob, & dispersit in Israël.* Cæterùm vndecumque primus ille huius Concilij vulgator hos canones collegerit, clarè liquet, illos ex omni ætatum memoria, & ab antiquissimis temporibus genuinos agnitos fuisse; atque huic Concilio ascriptos, testimonio omni exceptione maiore, totius nempe Cleri Anglicani, in Concilio Oxoniensi (vt superius monstraui) congregati, idque duodecim priùs annis quàm Codex ille Decretalium conscriptus fuerit: ita vt aliundè quàm ex hisce Decretalibus eos originem suam trahere necessario fatendum sit.

Eandem verò cantilenam denuò recinens, *hæc*, inquis, *fragmenta (crediderim) Cochlæum, vel alium aliquem in vnum collegisse, & in formam Concilijque modum conpaginasse. Formâ tamen ita rudi ac impolitâ, vt multoties ipsum se prodat genuinum non esse, nec ex aliquo probato authore desumptum:* Dixeras modò, nullâ interpositâ dubitatione, Cochlæum huius Concilij acta primum in lucem edidisse, nunc vel illũ vel alium aliquẽ huius editionis authorẽ statuis; quâ sane argutissimâ ratiocinatione victus, nòn possum non tibi candido manus dare: nihil enim magis pro comperto habeo, quàm si vnquam editum est hoc Concilium, vel illo vel alio aliquo authore id euenisse. Quòd si à Cochlæo editum non est, huiusce profectò editionis ergô, dum nomini suo infamiam inferre conaris, planè oleum & operam perdidisti. Si verò eam alio cuipiam ascribas, non est cur Cochlæi causâ, in perniciem huius Concilij tam vehementer incumberes. Tuncque ego asserere nòn dubito, illum alterum tantæ authoritatis virum extitisse, quanta potest esse maxima: sicque

tuo rursus telo confoderis. Nec etiam (quod mirum est) quicquam affers quo huius *alius* nomini infamiæ notam inuras: poteras namque æquo iure iis obloqui quos ignoras, ac (quod totâ hac oratione agis) illa garrire quæ omnino non intelligis. Cochlæi silentium modò ægrè ferebas, quòd vndenam hunc codicem adeptus sit, te certiorem facere prætermisit; an non multò magis nos tibi succensere par est, quòd collectorem huius Concilij in quod tantâ libidine inueheris, nequaquam nobis sine ambagibus ostendis? imò nec editionem hanc præ aliis (à nescis quo scriptam) vel minimam dignoscendi copiam suppeditas? At quantùm nos in hac parte conceptâ spe frustras, tantùm in sequentibus strenuè in nos irruere tibi videris; dum licèt nescire te fatearis quis primus hoc Concilium in lucem ediderit, nullâ tamen ad authorem collatione habitâ, ipsissima huius Concilij forma, ais, *adeò rudis est ac impolita, vt multoties semetipsum prodat genuinum non esse, aut ex aliquo probato exemplari desumptum.* Quæ grauis sanè sed intempestiua cen-

ſura in te mox retorquebitur, ſuâque ſe rudi formâ, dicam, an deformitate prodet, non modò non ex literarum fontibus exhauſtum, ſed ne communi quidem ſenſu, vel authoritate aliqua obſtetricante productum.

COSENVS.

QVIS etenim ſibi animum inducere poterit vt credat, fieri poſſe, vt Concilium hoc Lateranenſe, decretis canonibúſque ibi ſancitis, Concilium Lateranenſe citaret? id eſt, ſeipſum citaret, non tanquam Concilium tunc temporis ſedens, ſed multis retro annis (aut ſaltem aliquot) habitum? Aliorum quidem Conciliorum huiuſmodi ſolet eſſe loquendi formula; *Hæc Sancta Synodus decernit, ſiue placuit huic Sanctæ Synodo*, quæ verba ſeſſionem ſonant, iam tunc cum ſtatuta feruntur ſuperſtitem. At Concilium hoc Lateranenſe de ſeipſo loquitur, tanquam de alio quopiam Lateranenſi Cõcilio, ab eo quod tunc celebratum fuit longè diuerſo; vnde vocibus vtitur, *Fuit & noſcitur fuiſſe*, tanquam de decretis antea

tea

tea latis; idque variis in locis, non minus quam sexties; semel cap. 11. bis cap. 29. ter capitibus 33. 46. 61. *In Lateranensi Concilio pia fuit institutione prouisum. De multa prouidentia fuit in Lateranensi Concilio prohibitum. Deuoluatur collatio secundum statutum Lateranensis Concilij. Et in Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum.* Ecquis hæc verba ipsius Concilij Lateranensis esse crediderit?

RESPONSIO.

ECQVIS arbitrabitur hæc verba hominis esse, nisi quem mens simul cum ratione destituit? Quis etenim crediderit, quis sibi æquo animo persuaderi patiatur, virum adeò nasutum, suæque sectæ columnam, alicui Concilio huiusmodi litem intendisse, quâ, vt leuissimè dicam, nihil vnquam credo, in hoc genere ineptius in publicum prodiisse? Ais etenim Concilium iam tum cum haberetur, sua ipsius acta referre, quasi alterius cuiuspiam iam olim celebrati. Quod vt astruas, sex varios textus profers, in quibus Concilij quidem Lateranensis fit mentio;

quod tu insulsè nimis, vnum idemque opinaris atque illud de quo in præsentiarum agitur. Scito igitur, (at erubesce si potes tam turpi ignorantiâ) Concilia omnino quinque apud Lateranum habita esse, (vt fert vulgaris, multoque maximè recepta sententia) quorum tria, hoc de quo nunc quæstio est, præcesserunt: illudque cuius tu verba acuratiori quàm aliàs diligentia profers, sub Alexandro tertio, anno 1180. huic proximè præcedens celebratum est. Tune igitur solus in his hospes es? tu inquam, quem eo supercilio quandoque loquentem vidimus, perinde ac si omnibus Conciliis Notarij munere perfunctus fuisses, tam densis ignorantiæ tenebris obuolueris; vt quod tyrunculus quisque nouit, te lateat Doctorem? Vnde factum est, vt Concilij Lateranensis mentionem reperiens, suaque Decreta citata, cæterorum nescius, idem suimetipsius verba referre arbitrareris. Quòd si modò Binij Editionem inspexisses, singula hæc testimonia à te adducta, suis quæque capitibus vnde eruta essent, in margine prænotata vidisses; Concilio scilicet

Lateranensi, sub Alexandro tertio, superius nominato. Sed fingamus Concilij huius canones à Cochlæo, aut alio nescio quo confiꝭta fuisse; (quod tu mirâ vanitate suspicaris) putasne serio eum vsq; adeò rationis expertem fuisse, vt tam obtusum imposturæ genus, nemine id explorante, hominum oculis obtrudere se posse speraret? vel si crediderit aliquando patefactum iri, (quod væ misero! perspicacissimâ tuâ sagacitate iam tandem euenit) num etiam eò dementiæ prolapsum autumabis, vt rem ageret in se non modò absurdissimam, sed nulli insuper fini, (quippe cui perinde foret, an vlla Concilij Lateranensis acta ab hoc Concilio citata fuissent necne) imò verò, quod summum est, quâ eius instituto, conciliandæ nempe huic suæ editioni hominum fidei, nihil magis alienum aut aduersum excogitari poterat: hinc etenim concussis veluti fundamentis, ineuitabilem sui operis ruinam non poterat non præuidere.

Vtcumque verò, pro tumido tuo genio, minimè vereris priuatos passim Catholicos, pietate licèt ac eruditio-

ne ſpectatiſſimos, faſtidire; & linguâ petulantiſſimâ conſectari; attamen (vt verbis iſtis tibi adeò familiaribus vtar) *miror quâ audaciâ,* omnes vniuerſim orthodoxos ignorantiæ, inaduertantiæ, perſtringere attentares. Quaſi verò tot Eccleſiæ Catholicæ Pontifices Maximi, tot Epiſcopi, tot Theologiæ necnon Canonici Iuris Magiſtri, præter alios innumeros omni literarum genere apprimè inſignes; ij etiam quorum maximè intererat Concilij huius ſinceritati conſulere, ſæculares nimirum Principes, eorumque ſubditi nec numero pauci, nec literis parum inſtructi, imò magnâ ex parte inſtructiſſimi, tam profundâ mentis cæcitate aut torpore laborauerint, vt prodigioſum hoc commentum deprehendere non valuerint, aut eo deprehenſo, ſi de clero fuerint, vt nec pro eorum pietate in Deum, nec reuerentia in homines illud vtique detegerint: Si verò de populo, vt ſaltem priuati cuiuſque commodi gratiâ, aut prudentiæ humanæ intinctu, tam inſigni impoſturæ non reclamauerint; quin potius paſſi ſint adulteratos hos canones, ſpecioſo

Magni ac vniuersalis Concilij titulo dealbari, eoque nomine per totum terrarum orbem recipi, idque tot annis vertentibus, quoad tu, ineluctabili tuâ solertiâ, mysterium hoc iniquitatis, reducto velamine, æternæ Catholicorum omnium ignominiæ, tuæque (vt sine dubio opinaris) non minori gloriæ detegisti.

At hinc certè tibi videre licet, quàm facilè & inopinatè qui veritatem superbâ peruicacia oppugnant, in eandem incidant infamiæ stultitiæque foueam, quam aliis præparauerant. Tu nihilominus maiori animo quam cautela pergis, & ais,

COSENVS.

HVIC igitur turpetudini, quasi fuco quodam mederi nititur Cochlæus, hac coniecturâ, (in proæmio huius Concilij à Crabo edito,) fuisse nempe hæc decreta in vnum collecta, inque ordinem quo ab illo exhibentur redacta, per ipsummet Innocentium Papam, aliquo post absolutum Concilium temporis interuallo. In quem finem, tria capitula dicti Concilij citat, (de eorum numero quorum superius

mentionem fecimus) additque, lectorem facili negotio idem deprehensurum. At quisnam prudens lector æquo animo feret, Concilij decreta aliquo temporis curriculo post eius dissolutionem conscribi? Moris semper erat Conciliis, sua quæque decreta scriptis mandare, nec finem priùs imponi fas erat, quàm illis etiam esset subscriptum. Sed neque Innocentius Papa rerum agendarum adeò imperitus erat vt ipsam Synodum Lateranensem in hunc modum loquentem introduceret: *In Lateranensi Concilio noscitur fuisse prohibitum*, vel *fiat hoc, secundum quod prouisum est in Lateranensi Concilio, &c.* Quod genus orationis, multum abhorret à vulgari stylo viaque loquendi, quoties alicui Synodo de seipsa sermo habeatur. Neque hoc Innocentium tertium vllo modo latere potuit.

RESPONSIO.

COCHLÆVM modò nefandi criminis reum feceras, nunc eum sese purgantem introducis, vtrobique non sine contumelia. Nec enim quidquam

simile huic,de qua loqueris, coniectu-
ræ vsquam reperitur;nec si reperiri pos-
set, omninò aliquid tibi opis aut præ-
sidij est allatura. Ais eam in proæmio
huius Concilij à Crabo editi contineri:
at multò faciliùs sibillæ folia colliges,
quàm huiusmodi proæmium inuenies.
Extat quidem Bartholomæi Laurentij
epistola quædam, quam supra comme-
morauimus, quâ hanc Concilij editio-
nem ex ipso Archetypo desumptam
esse probauimus, quod nullâ sane indi-
get excusatione. Ad hæc, verisimile
non est Cochlæum (quem huius Con-
cilij decreta primum scripsisse modò
asserebas) alienæ nescio cuius editio-
ni proæmium fore postmodum con-
cinnaturum. At verò supponamus hãc
ab ipso afferri coniecturam, scilicet,
*hæc decreta collecta fuisse ab Innocentio
Papa, inque formam hanc disposita, ali-
quantisper post sartum tectum Concilium*,
qualis obsecro erit hæc excusatio? si
namque veritati innitatur, penitus de tua
causa actum erit; hinc etenim clarissi-
mè euincitur, omnia hæc decreta à
Concilio stabilita fuisse: sin autem fal-
sa sit, nihil prorsus ad rem facit. At se-

quelas hinc inde deducis, quæ quidem ieiunæ admodum sunt & pueriles, à fronte, à tergo, à lateribus labascentes, quibus dum velut adminiculis desperatæ tuæ causæ ruinas fulcire conaris, hoc tantum agis, vt debilitatem ingenij tui cunctis exploratiorem reddas.

Hic iam sciscitaris, *quis lector æquo animo feret, Concilij cuiuspiam decreta aliquandiu post eius dissolutionem conscribi?* Imò verò quis hoc, (te vno excepto) feret iniquè? Enimuerò si Concilij alicuius acta, prius scriptis demandata fuissent, quàm Concilium ipsum conuenisset, non sine causa interrogasses, quis illud non ægrè ferret? at quærere, cui arridere velit, ea scripta fuisse, sine iam tunc Concilio imposisito, planè ridiculum est; & lectorem etiam seuerum in cachinnos se soluere coget. Cæterùm quòd hæc decreta (vt in relata coniectura perhibetur) in formam rationémque quâ nunc sunt, redacta fuerint, postquam Concilio finem imposuere Patres; tu hinc argutè colligis, sub nulla penitus forma, imò non omninò quidem in Concilio exarata fuisse. Cui instituto subnectis, id

moris eſſe Conciliis, vt ſua quæque decreta conſcriberent, eadémq; (quod appoſitè admodum ſuggerere tibi videris) ſuâ manu Patres conſignarent, priuſquam diſcedere cuilibet fas eſſet: quo nempe innuas, in hoc Concilio ſecus ſe rem habuiſſe. Et hoc hinc liquidò tibi conſtare videtur, quoniam (vt ais) Innocentius Papa hos Canones in formam modúmque Concilij redegerit, aliquandiu poſtquam Concilium clauſerunt Patres. Parum ſine dubio tecum recogitaſti, qualem de prudentia tua ſententiam æquus quiſque arbiter haberet, qui te hunc in modum differentem legeret; tam inſulsè ſane, támque inappoſitè, vt haud ſciam ſi cuiquam mortalium quid vnquam ſimile in mentem venerit. Appello quotquot rationis vſu gaudent, corúmque iudicium depoſco, an hæc decreta in & à Concilio hoc conſcribi, atque etiam conſignari minimè potuerint, & tamen aliquandiu poſt, ab Innocentio Papa in hanc formam methodúmque redigi, ſub quibus modò exhibentur. Omnibus certè hominibus lumen rationis priùs eripias neceſ-

ſe eſt, quàm hæc diſcrepare perſuadere poſſis. Imò verò hæc eorum digeſtio aliquandiu poſt ab Innocentio facta, argumento eſt, (multò ſecus ac tibi videtur) ea antehàc ſub aliqua certè formula extitiſſe. Aliàs, vndenam obſecro ea Pontifex colligeret? An ex ſuo cerebro? At hoc ineptiſſimum eſt. Collectio namque rerum adinuentionem præſupponit, eáſque veluti certis quibuſdam monumentis reconditas, nouâ quadam facie reuiuiſcere facit. Quod ſi collectionis huius authorem Innocentium aſtruere velimus, æquum eſt vt eam ex Archetypo depromptam eſſe credamus; quandoquidem Innocentius huic Concilio non ſolùm interfuit, ſed etiam præfuit. Hoc tuum igitur argumentum tantumdem valet, ac ſi quis in hunc modum ratiocinaretur; Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, in hanc formam viamque quâ impræſentiarum videntur, diu multumque poſt redacta ſunt quàm illi mortem oppetierunt, igitur nec ab iis, eórumve Amanuenſibus, ab initio ſcripta fuere.

Multùm denique Innocentio Papæ

operam nauas, vt illum ab huius impostur

ę crimine liberares, quippe quòd ille non adeò rudis & indoctus fuit, nec rerum agendarum adeò imperitus, vt hanc Synodum suamet ipsius verba referentem, seipsamque citantem adduceret. Cui quidem labori, si me audiisses, vtique peperciffes: etenim *quis* (quæso) *vnquam vituperauit Herculem?* Quis huius criminis insimulauit Innocentium? Tu quidem à Cochlæo hoc factum opinaris, quia nempe coniecturam facit, vt ais, in formam quam præ se ferunt decreta, ipsius operâ digesta fuisse, aliquantò post dissolutum Concilium. Quasi verò Concilij alicuius decreta colligere, inque nouam aliquam formam redigere, idem esset atque eadem confingere; quo nihil homine sensum habente indignius excogitari potest. Fuit illa Innocentij Papæ prudentia, (dicis verè) & in scribendo dexteritas, vt Concilium seipsum citantem nullatenus adduceret; fuit ille rei suæ magis peritus: tu verò eâ rationis penuriâ laboras, vt tam claram veritatem (quam etiam nullus vnquam oppugnauit) aliter tueri nequeas, quàm

falſitate inſigniori; quâ ſcilicet aſſerere non vereris, Concilium hoc ſui ipſius canones in teſtimonium afferre. Quòd ſi tu redarguendi artem æquè calluiſſes, ac Innocentio probè nota erant Conciliorum ſtylus ac norma loquendi, ſatiùs ſine dubio tuæ famæ ſilentio, quàm tam debili erroris defenſione conſuluiſſes. Pergis verò, & ais,

COSENVS.

CONſultiſſimum itaque erit, Platinæ verbis acquieſcere: *non eſt decretum ibi quicquam: non potuit ibi decerni quicquam. Improbauit Innocentius ipſe Abbatis Ioachim libellum, damnauit ipſe Almericum.* Dicit non fuiſſe Concilium Lateranenſe quod ad eos condemnandos decreta tulit, ſed Innocentium ipſum fuiſſe qui eos condemnauit. Et appoſitè concludere poſſimus, cùm hæc tum alia, *de quibus nihil decerni potuit in Concilio*, ab ipſo Papa in ſuis Decretalibus deſcripta fuiſſe; vnde hos canones decerpſit, quiſquis ille fuit qui primus eos in Concilij formam redegit.

RESPONSIO.

REctissimè consulis, vt Platinæ fidem adhibeamus; Platinæ concedo, non autem tuæ verborum eius interpretationi; quam in præcedentibus satis superque refutauimus. Quicquid autem de illo sit, consultissimum sanè erit nullam prorsus tibi fidem habere, qui non ipsum modò sed nos etiam, in omni hoc quod adduxisti, non leui iniuria affecisti; nihil enim hic nouæ rei asseritur, cui non in initio abundè satisfactum sit. Totum id quod dicit est, *nec decerni quicquam apertè potuit*: cuius loco tu eum ita loquentem facis: *non est decretum ibi quicquam: non potuit ibi decerni quicquam.* Vbi præter reduplicationem commutationémque verborum, voculam *apertè*, à quâ tota quæstionis decisio pendet, subdolè elisisti; quòd ab ea te elidi sentiebas. Ait etenim Platina, nihil illic *apertè* decretum esse, tu contrà, nihil omnino decretum esse, nec decerni potuisse: quòd autem nihil apertè decretum sit, indicio est, nonnihil decretum esse, quam-

uis non apertè. Cæterùm ad horum verborum ſenſum quod attinet, ne graueris primam huius reſponſionis ſectionem reſpicere, vbi liquidò demonſtratum eſt, ea ad expeditionem in terram Sanctam reſtringenda eſſe, non ad reliqua huius Concilij decreta dilatanda.

Et quemadmodum hoc in loco particulam eradendo, integrum verborum ſenſum corrumpis, ita verbis ſubſequentibus (quæ tu proximè ſubnectis, perinde ac ſi à Platina eodem ordine prolata fuiſſent, ad vberiorem eiuſdem rei confirmationem, cùm tamen reuera ſenſu planè diuerſa ſint, ac lineis pluſquam duodecim interiectis) voculam illam, *Ipſe*, fraudulenter interſeris; quâ velut cardine, contra mentem authoris & veritatem vertitur, & peruertitur ſenſus: quaſi damnatio Almerici, necnon libelli Abbatis Ioachim, ſolius Pontificis nomine, citra Concilij authoritatem pronunciata fuiſſet. Quod eo conſilio facis, vt vmbratilem quandam videaris occaſionem nactus, huius Concilij decreta omnia velut adultera reſpuendi, inter quæ hæc de Almerico

& Ioachim acta recensentur. Moxque velut alium Platinæ locum, vel vt tuam prioris loci expositionem subiungis; *non eos ait Concilij Lateranensis decreto damnatos, sed ipsius Innocentij Pontificis:* quibus nihil simile in Platina reperies, siue verba spectes, siue verborum sensum. Dicendo etenim Pontificem illos damnasse, non necesse est sequi eos à Concilio non fuisse damnatos, quandoquidem ab vtroque fieri poterat; idque vel separatim, vel certè coniunctim; & hoc posteriore modo rem se habuisse, & supra probatum est, & nunc denuò conuincitur, Beluacensis testimonio; qui de hoc Lateranensi Concilio verba faciens, ab eo, dicit, Almericum & Abbatem Ioachim anathematis sententiâ fuisse perculsos. Quamobrem tu ille *Ipse* es, qui & Platinam iniuriâ affecisti, & Lateranense Concilium putidissimis sophismatibus dehonestati, quique ipsâ rei gestæ euidentiâ malesanæ fidei *apertè* coargueris.

Beluac lib. 30. hist. cap. 34.

Hic iam huius sectionis epilogi loco subinfers, *tutò nos concludere posse, tum hæc tum alia, de quibus nihil decerni po-*

tuit in Concilio, à Pontifice suis fuisse Decretalibus inserta; vnde eum hos canones corrasisse necesse est, quisquis eos primum in formam modumque Concilij compaginavit. En conclusionem præmissis non absimilem; vtraque verò nihilò minus quàm veritati conformia. Ais quidem tum hæc tum alia, (huius, credo, Concilij decreta velis) à Pontifice suis fuisse Decretalibus inscripta, id est, prout tua te fert sententia, à Pontifice commẽta, sinque suis Decretalibus primùm descripta: si namque priùs à Concilio sancita fuerint, deinde verò in Decretalia redacta, causâ penitus cecidisti: quodque sic se res habuerit, quanquam abundè satis iam probatum sit, vlterius roboratur ex titulo quo in ipsis Decretalibus prænotantur; videlicet non solius Innocentij nomine, vt alia plurima, sed in hunc modum, *Innocentius tertius in Concilio Generali.* Quæ cum ita sint, hæc tua magnifica assertio, tam corrosis innixa fundamentis, ac sunt hæ Platinæ corruptelæ, sponte sua collabatur necesse est.

Ais denique, *eum ex hisce Decretalibus dictos canones desumpsisse, quisquis eos primus*

primus in formam Concilij compaginauit. At ego supra tibi demonstraui, eos primùm ex ipso Concilij Archetypo fuisse depromptos. Quòd si modò è decretalibus collecti fuissent, nihil tibi prorsus prodesset, cùm vt multoties ostensum est, horum author fuerit non solus Innocentius, vt tu ais, sed ille vnà cum Concilio Lateranensi. Adeò vt ex tota hac dictorum congeriè, quæ à te hactenus inculcata sunt, ne verbum quidem quod non aut à veritate, aut à re tua alienum sit, inueniri queat: vtque tuis verbis vtar, *de quo nihil decerni potest.* Nihilo tamen minùs, (quasi in hoc genere parcior fuisses,) dum in aliis labes perscrutaris, ipsemet errorum monstra procudere pergis.

COSENVS.

TERTIVS etenim huius Concilij canon, (de excommunicatione Principum secularium, deque potestate papali eorum subditos à vinculo fidelitatis absoluendi, eosque regnis & principatibus spoliandi) de numero Extrauagantium est, cap. 13. de Hære-

reticis, id est, Ipsius Innocentij Decretum, non verò Concilij Lateranensis, *vbi nihil decerni potuit*. Sic canone 71. (qui est de recuperanda de saracenorum manibus terra sancta, quâ de re Concilium hoc imprimis conuocatum fuit) collector stylo vtitur Pontificibus, non Conciliis vsitato. *Ad liberandam* (inquit) *terram sanctam de manibus impiorum, sacro Concilio approbante definimus, &c.* Neque simile quicquam in Concilio definitum fuit; vt cùm Cardinalis Bellarminus) aduersus Apologiam Regis Iacobi) tum Eudæmon Cidonius (in sua parall. Torti & Tortur.) Platinam secuti fatentur. Quisquis igitur ille fuit qui hæc duo decreta, de subditis à vinculo fidelitatis absoluendis, deque recuperanda è Saracenorum manibus terra sancta sanciuit, idem etiam iure censendus est author istius canonis, de Transubstantiatione, qui tot in orbe tragædias excitauit, & ob quem Concilium hoc toties, *Maximum omnium, Generale, & celeberrimum proclamatur.*

RESPONSIO.

TERTIVS, inquis, *huius Concilij canon, de Excommunicatione secularium Principum, de numero extrauagantium est, cap. 13. de Hæreticis*. Næ tu hoc asserendo extra orbitam vagaris; nec enim quicquam simile citato loco reperitur, nec ipse quidem locus. Non eo inficias lib. 5. Extrauagantium extare titulum quendam, *de hæreticis*, sed qui tria tantum capitula complectatur, & quorum nullo, qualiscunque huius rei mentio continetur. Quæ de tua fide dicta, sufficiant: nunc verborum sensum ac veritatem perpendere libet. Ais tertium Canonem de numero Extrauagantium esse, hoc est, vnum è decretis ipsius Innocentij Papæ: ex quo colligere licet, vnum & idem tibi videri, de numero Extrauagantium esse, atque ipsius Innocentij Papæ decretū; videlicet, quòd is illorū omniū author fuerit. Quâ in re à veritatis tramite tam immanè aberras, vt ne Extrauagantium quidem vel vnum (vt ex singulis

eorum titulis patet) Innocentij Papæ nomine prænotatur. Perperàm igitur à te Innocentio aſcribitur hoc decretum, ſecluſo Concilio, cùm ipſius ſit ſimul & Concilij, ſiue potius, vt ſupra diximus, ipſius in Concilio Lateranenſi. Cuius auctoritatem, illius tui toties decantati carminis, *vbi nihil decerni potuit*, ſolo flatu, ex hominum animis abigere te poſſe autumabas? tui inquam, nec enim illud penes alium quempiam reperitur; cui præter iam dicta, illud etiam oppono Alberti Crantzij, multò probatioris fidei & integritatis viri, qui de Innocentio Papa in hunc modum ſcribit: *Concilium maximum congregauit Lateranum, ibi multa conſtituta, quæ hodie extant in corpore iuris.*

Crãtz. Metrop. lib 9. cap 1. ſect. Innoc, 3.

Nec hunc certè canonem fideliori manu quàm reliquos tractaſti; cuius ſenſum, variatis terminis, mutilum admodum reddidiſti. Prætcrquam enim quòd nulla illic eſt mentio regum aut regnorũ, Papę abſolutio à vinculo fidelitatis, quo *Domini temporalibus obſtringuntur eorũ vaſalli*, (hæc namq; canonis

ipsissima sunt verba,) nec non terrarum quæ sub eorum ditione sunt publicatio, hoc tantum casu vsu veniunt, quo nimirum dicti temporales Domini post monitionem canonicam, terras suas ob hæretica prauitate purgare neglexerint, inque sua contumacia etiam post sententiam excommunicationis iuridicè ob Episcopis latam, anno vertente permanserint; quibus etiam hæc clausula derogatoria subiungitur, *Saluo iure Domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat.* Iam verò hæc summi Pontificis potestas qualis qualis sit, ab ea certè perquam longissimè dissita est, quam tu mirâ verborum confusione, rudium & indoctorum illusis auribus, tam formidolosam exhibes; quasi penes Papam foret, quorumcunque regum ac principum subditos, à vinculo fidelitatis, pro arbitratu suo absoluere, eorumque terras & dominia in quoslibet alios, quacunque de causa, transferre: quo nihil à rei veritate remotius. Sed fingamus hanc Pontificis Maximi potestatem tam va-

ſtam eſſe atque immanem, ac tu ſiue ipſemet credis, ſiue aliis nequirer perſuadere cupis, quid hoc obſecro tua refert? Num tu pro dignitatis eorum conſeruatione ſolicitiori moueris affectu, quàm aut ipſi Principes, aut tot fidi eorum miniſtri, qui hunc canonem ſimul cum alijs, vel à Concilio placidè receperunt, quod à me ſupra aſſertum & demonſtratum eſt, vel illum ab impoſtore neſcio quo ſibi obtrudi paſſi ſunt, quod tu quidem aſſerere auſus es, nondum tamen vel ſpecimen probationis exhibuiſtis.

Verum enimuerò concilium animi tui non poſſum non vehementer admirari, qui religionis re-deformatæ Athleta cùm ſis, hunc potiſſimum canonem, de principum exauctoratione, præ cæteris delegiſti, in quem tam petulanter debacchando, reliquis omnibus odium & incredibilitatem conciliari conaris; cùm tamen probè notum ſit, haùd quaquam mille ſexcentorum annorum decurſu, tot Principes à Pontificibus Maximis ſuis fuiſſe terris ſpoliatos, quot à perfidiæ tuæ conſortibus

centum his tantummodo postremis annis. Sic enim, nescio quo fato, accidisse videmus, vt vbicunque terrarum huius nefandæ hæresis vlcus eruperit, illic continuò populus in suos principes implacabili furore percitus, illos e suis solijs simul & terris aut re verâ deturbauerit, vt in Suecia, Dania, Scotia, inferiori Germania, ciuitate Geneuensi, ac Anglia denique nostra, aut saltem non raro vi & armis hoc facere tentauerit, vt sunt Francia, Bohemia, Polonia funesti testes. Quid igitur est quod iniquo animo feras summũ Pontificem, personam scilicet à regum subditis longè disparem, huiusmodi potestatis prærogatiuâ gaudere, quâ hæreticorum principũ petulantiam coërcere, ipsosque in Ecclesię gremiũ quoquo modo reducere possit? Maximè, cùm ipsi Imperatores, Reges, ac Principes, huic Decretò non modò non refragati sint, sed etiam quantum ad illos spectabat illius auctores fuerint. Tu verò nullo modo animum inducere potes vt credas; hunc canonem à Concilio sancitum esse, tuoque ingenio impensè adeò adblandiris, vt eius acumine con-

Teste vel vno locupletissimo Florimundo Raimũdo Burdegalensi Senatore clarissimo.

trarium demonstraſſe tibi videris. Audi igitur conſilium meum; regibus & principibus grandem hanc impoſturam in aurem ſuggere; facies ſine dubio rem illis gratiſſimam, quæque illorum infidis ſubditis non minori erit dedecori, quòd tanti ponderis veritatem tamdiu in iniuſtitia detinuerint, quàm tibi, quòd eandem è latebris in lucem erueris, immortali gloriæ ſummoque emolumento.

Vlteriùs porrò obiicis aduerſus idem decretum expeditionis pro recuperanda terra ſancta, (quod tibi ſed præterea nemini, canonem ſeptuageſimum primum vocare iubet,) quia ſcilicet ſtylo pontificio, non autem Conciliis vſitato exprimitur. Vnde certè patet, aulicus cuiuſmodi ſis, nõ tamen ſtylum Pontificum ac Conciliorum te ad amuſſim callere: aliàs etenim minimè dubitaſſes, hunc morem eſſe Conciliis quibus interſunt ſummi Pontifices, vt illorum nomine, hac ſolummodo additione, *Sacro approbante Concilio*, decreta ſanciantur: vt videre eſt in Concilio Florentino in literis vnionis, aliiſque nonnullis.

Ais insuper, Cardinalem Bellarminum nec noc Eudæmonem Cidonium ex Platina fateri, nullum tale decretum in hoc Concilio conditum esse. Eudæmonem quidẽ præ manibus non habeo, nec multum refert; cùm etenim vtriusque confessio Platinæ authoritate nitatur, eâdem responsione vtrique satisfiet. Ad Bellarminum igitur quod spectat, debueras certè minus nobis negotij facessere, quàm ad integrum librũ viginti fortè plusquam foliorum, ad vix totidem verba nos inuestiganda remittere; quæ tamen cum inuenerimus, in præmium laboris, errorem ac inscitiam tuam etiam inuenerimus. Non enim loquitur Bellarminus de peculiari illo Expeditionis Decreto, an à Concilio latum fuerit necne, sed de negotio terræ sanctę generatim: *de hoc*, inquit, *Articulo, cum multa disputata fuissent, nihil certi definiri potuit*: Vbi aduertendum est, nonnihil interesse discriminis inter has loquendi formulas, *nihil certi*, quâ vtitur Bellarminus, & *nihil omnino*, vt tu ais. Quod quidem *nihil certi*, probabilissimum est intelligendum esse de vlteriori prose-

cutione belli, à qua intestinis Christianorum dissidiis præpediebantur; non autem de ipso Expeditionis Decreto, quod pauca quædam capitula complectitur, tum de elargiendis in hoc opus subsidiis ex Ecclesiæ reditibus, (in quo summopere enituit ipsius summi Pontificis exemplum,) tum etiam decernendis pœnis, in eos qui obstaculum aliquod & impedimentum afferrent; tum denique de indulgentiis ijs impertiendis qui dictum bellum aut suscipe- rent, aut quocunque modo promouerent. Quæ omnia, vt vt certum sit decreta fuisse, verissimè tamen dici poterit, quod refert Bellarminus ex Platina, *cùm multa disputata fuissent, nihil certi definiri potuisse*; scilicet quod ad particulares spectat articulos de rebus ad bellum istud necessariis; ad quos descendere, per ingruentes Christianorum discordias, minimè licebat. Quamuis etiam de hoc ipso Decreto non absurdè dici poterit, nihil certi definiri potuisse; habitâ ratione non quidem ipsius literæ aut intentionis, sed effectus siue executionis; quæ nec certa erat, nec omnino verisimilis ob dome-

stica bella; imò contrarium potius certum erat, nihil scilicet gestum esse. Quod si Platina, & ex ipso Bellarminus, huic Expeditionis Decreto, (quod solum in hoc negotio sancitum contendimus,) omnem omnino fidem auferre voluissent, quorsum hisce restrictionibus vsi sunt, *nihil apertè decretum est*, *nihil certi definitum*, & non potius, quod tu vis, nihil omnino actum esse asseuerarunt? quod & multò magis genuinum fuisset, ac illorum grauitati consentaneum. His igitur restrictionibus nonnihil insinuatum esse par est intelligere, quod, ni mea leuis sit coniectura, illud ipsum est quod supra memoraui. Quicquid sit, palam est, Decretum hoc à Concilio latum fuisse, vt illis omnibus argumentis constat, quibus totius Concilij (cuius illud pars est) veritatem asseruimus: speciatim verò, (quoniam tu illud hoc in loco speciatim impugnas,) authoritate Mathæi Parisiensis, qui totidem ferè verbis decreti huius meminit; quæ hic referre, quia nimis longum esset, consultò prætermitto. **Math. Paris. hist. ma. p. 189.**

Ais denique, *quisquis ille fuit qui hac*

duo decreta, de exauctorandis principum vasallis, déque recuperanda è Saracenorum manibus terra sancta sanciuit, eum illius etiam canonis de Transubstantiatione authorem meritò reputandum esse: quod vtcunque verum sit, nihil prorsus tibi proderit; ea namque singula condidit Innocentius Papa, *Sacro* tamen *approbante Concilio,* hoc est, integrum Concilium, ex Summo Pontifice reliquisq; Prælatis conflatum, ea decreuit. Nec est quòd verbum hoc, *Transubstantiationis*, tibi stomachum moueret, aut quòd illius ergô tibi displiceat Concilium, cùm res nempe significata, ipsius Christi Saluatoris ætate minor non sit, vt nostri Catholicæ veritatis assertores passim comprobant. Quid? quod ipsa etiam vox prius vsurpata legitur, quàm hoc Concilium celebratum est; vt patet ex Annalibus Rogeri Houendeni,
Pag. 576. in Henrico secundo, vbi in hunc modum loquitur: *Confessi sunt etiam quod Sacerdos noster, siue bonus siue malus, iustus vel iniustus corpus & sanguinem Christi posset conficere, & per ministerium huiusmodi sacerdotis, & virtutem verborum diuinorum quæ à Domino prolata*

sunt, panis & vinum in corpus & sanguinem Christi verè transubstantiantur. Similia habet Blesensis, qui eodem Henrico secundo fuit à Sacello, qui sic ait, Epist. 140.
Et vt gratia exempli, in vno Sacramentorum videas abyssum profundissimam, & humano sensui imperceptibilem, pane & vino transubstantiatis virtute verborum cælestium in corpus & sanguinem Christi, &c. Horum Scriptorum vterque floruit tempore Henrici secundi Angliæ Regis, cùm tamen hoc Lateranense Concilium habitum sit tempore Ioannis, qui secundus ab Henrico regnauit. Ab his itaque ambobus authoribus anglis, *transubstantiationis* nomen applicatum vidimus, admirabili conuersioni panis & vini in corpus & sanguinem Christi: nec ab alio quopiam authore ob eius vsum malè audiunt, quasi aliquid illius aut præcedentium sæculorum fundatissimæ fidei dissonũ protulissent. Non itaque decretum hoc de Transubstantiatione in hoc Concilio Lateranensi postea latum, has (vt ais) in orbe excitauit tragædias, verùm hæreticorum & schismaticorum pertinacia, qui in illud effrenatâ libidine de-

bacchati ſunt & obſtrepuêre. Nec etiam Concilium hoc huius decreti gratiâ, *Maximum omnium, Generale, & celeberrimum* pronunciatur, ſed quòd ab ipſo Pontifice Maximo ex vniuerſis mundi plagis conuocatum ſit; adeò vt poſt homines natos, nunquam frequentior tum Clericorum tum Laicorum ordinum, eruditione ac nobilitate clariſſimorum, viſus ſit conuentus; in quos huiuſmodi ſcommata coniicere impudentiſſimæ eſt audaciæ.

Quare vt huic tandem ſectioni finem imponam, operæ pretium erit obſeruare, tria hæc decreta in quæ potiſſimùm tanto animi æſtu, ſed incaſſum efferueſcis, à Gregorio Papa nono primùm Decretalibus non multùm poſt inſerta fuiſſe, quàm abſolutum eſſet Concilium: quâ in re (vt antea dixi) viri omnium illius ætatis integerrimi, operâ ac conſilio vſus eſt. Dein verò in numerum huiuſce Concilij Canonum à Crabo relata ſunt, qui vti ſupra etiam probatum eſt, ea ex ipſo Archetypo deprompſit. Denique, reliquis eiuſdem canonibus annumerantur, ab iis omnibus, vt Surio, Binio, aliiſque qui Conci-

liorum collectiones vnquam in lucem ediderunt. Postremò, totius Ecclesiæ Catholicæ consensu recepta & approbata sunt; quo nullum aliud grauioris momenti testimonium desiderari potest. Quísnam igitur tu es, qui aduersus tam luculentam veritatem mutire audeas? aut cuiusnam priuati par esse posset authoritas? Sine dubio quisquis eò dementiæ dilabatur, meritò hæreticorum *omnium maximus, ac celeberrimus* appellandus est.

Proximo loco nos argumentatione arithmetica adoriris, quam vbi tecum ad calculos redigero, vereor ne in hoc quoque genere, non vsquequaque numeris omnibus absolutus inueniaris. Sic namque supputas.

COSENVS.

VErum enimuerò, quicunque primus Concilium hoc generale siue composuit, siue illud postmodum in lucem edendum curauit, eumque Generalis Concilij titulo insigniuit, haud certè partes suas vsquequaque calluisse videtur. Fieri enim nullatenus potest,

vt inter ſeptimum & octauum generale Concilium, aliud Concilium generale intertrudatur, pręcipuè ſi magnum adeò ac generale fuit, vt aſſeritur; quod tamen huic Concilio accedere neceſſum eſt. Nam ſecundum Nicenum ſeptimum generale numeratur, quod anno 787. celebratum fuit. Octauum verò locum ſibi vendicat Florentinum anno 1449. habitum; vti clarè liquet ex his verbis ſeſſioni eius vltimæ ſubinſertis: *Finis octaui Concilij Generalis factus eſt 21. Iulij, &c.* Adeò vt niſi duo Concilia Generalia octaua conſtituerint, hoc nullum eſſe poſſe patebit.

RESPONSIO.

A Materia huius Concilij tranſis ad illius titulum improbandum, & ais, *non vſquequaque partes ſuas calluiſſe eum, quiſquis illud titulo Generalis Concilij inſigniuit:* idque ob hanc potiſſimè rationem. *Secundum* (inquis) *Concilium Nicenum pro vniuerſali ſeptimo computant; Concilium verò Florentinum pro octauo: iam verò inter ſeptimum & octauum alterum intrudi poſſe non*

credis,

credis, nedum tam magnum ac Lateranense hoc esse perhibetur. Profectò quisquis hoc Concilium in lucem primus edidit, nisi partes suas melius calluisset, quam qui futilem hanc obiectionem efformauit, ignauiæ suæ pueriles pœnas dare optimè promeritus fuisset. Piget certè pudetque in his quisquilliis discutiẽdis diutius immorari. Quinam quæso illi sunt, quos ais, Concilium Florentinum pro octauo Generali computare? Facilè iudicabit quiuis oculatus lector, nos Romano-Catholicos hic intendi, aduersus quos tanto animi feruore disputas, quosque tam stupidos videri velles, vt ad octauum numerum computare nescirent. Sed non Romanam hac in re computationem sequeris, quin illam schismaticorum Græcorum; quanquam nec illi grates vllas tibi rependent, nec communionem tuam minùs quàm nos Catholici auersabũtur. Scias igitur (quandoquidem hoc prius ignorare visus es) octauum œcumenicũ Concilium Constantinopoli celebratum esse, idque contra Photium, qui infausto schismate Græcam à Latina diuulsit Eccle-

ſiam ; cuius qui ſectabantur partes, octauum illud cum aliis nonnullis poſtea in Occidente habitis, penitus reiiciebant ; in quorum numero quartum hoc Lateranenſe (cui in contrarium tam multum nihil hactenus attuliſti) continetur ; quoad Græci rurſus cum Latinis in Concilio Florentino conuenientes, illud quidem octauum generale nuncupabant ; quamuis pro innata eorum leuitate illud ipſum mox reſpuentes, in hunc vſque diem tantummodo ſeptem agnoſcunt. Quod ſi cuilibet integrum ſit, Concilia in hunc modum recipere, eadémque pro arbitrio reiicere, quidni tu cum Lutheranis, ſolummodo ſex; cum Eutichianis qui adhuc in Aſia vigent, tria tantum prima ; cum Neſtorianis in Oriente, nonniſi duo ; cum Arianis denique ac Trinitariis quorum reliquiæ Hungariam adhuc ac Poloniam infeſtant, nullum omnino recipias : quod æquo & pari iure facies, ac tu tuique gregales Lateranenſem hanc Synodum, maximéque ſacroſanctam Oecumenicam Tridentinam improbatis, ac fædo ore obloquimini.

Et ne tibi satis sit errores aliis falsò exprobrare, nisi in eosdem etiam ipse verè labaris, circa tempus Concilij Florentini non parum rursum hallucinaris; sed quia res magni momenti non est, eam tibi libentiùs condono. Abesse tamen non potest, quin ingenij tui acumen vehementer exosculor, in hoc quod ais, inter septimum & octauum Concilium Generale, intrudi non posse alterum, nedum tam magnum ac Lateranense illud esse perhibetur. Quò nempe innuere videris, magnitudinem huius Concilij impedimento esse, quò minùs inter septimum & octauum interuenire potuisset: ita vt si paulò minùs extitisset, locum inter ea fortassis obtinuisset. Bella certè téque digna speculatio: fieri itaque poterat vt paruum aliquod generale Concilium inter septimū & octauum introduceretur, videlicet vt appendix quædam prioris; aut certè tam arctè ei cohæreret, vt sub eodem numero comprehendi potuisset. At verò hoc de quo agitur, tam magnum est ac generale, vt huiusmodi angustiis nullatenus coarctari possit; ita vt alterum

octauum potius quàm nonum constituere debeat: cùm tamen etiamsi nono loco positum fuisset, alia ratione, vt superius dixi, octauum reputari posset. Mihi verò hactenus persuasũ est, Conciliorum numerum, vtpotè huiusmodi quantitatis speciei, quam *discretam*, vocant, non maius exegisse spatium ob eorum magnitudinem (quod quantitatis continuæ proprium est) quam si minora fuissent: adeò vt inter septimum & octauam, nullo pacto crediderim, rerum quantumcunque minimarum, non secus ac maximarum, numerum aliquem intercedere potuisse. Concludendum est itaque huius Concilij magnitudinem non minus interuentui suo inter septimum & octauum, immutata numeri denominatione obfuisse, quàm si omnium minimum extitisset.

Ais denique, sub finem dicti Concilij Florentini, sessione vltima, expresse hæc verba haberi; *Finis octaui Concilij Generalis, &c.* quæ tamen paulò expressiùs sic se habent, *Finis Generalis octauæ Synodi*: quæ licet re non multum discrepant, vocabulorum tamen *Concilij*

ac Synodi diuersitas nonnulla est, quæ si maturiùs perpendisses, ab obiectione hac forsitan abstinuisses. Constat etenim ex epistola quadam Bartholomæi Abrami ad Archiepiscopum Rauennæ, à Crabo quidem initio editionis suæ, à Binio verò fine insertâ, huius Concilij exemplar latinum perditum fuisse, illudque quod modò extat, dicti Abrami operâ è græco translatum esse: quam ob causam græco potiùs *Synodi*, quàm latino *Concilij* vocabulo vtitur. Idcircò autem octaua dicitur, quòd in græco exemplari ita inscripta fuerat; cuius rei rationem antea demonstraui: quia nempe Græci illas tantummodo Synodos generales reputabant, quibus illi ipsi interessent, quasque ipsi reciperent, è quarum numero Florentina hæc certè octaua fuit. Quæ tamen annumeratio à Surio, Binioque, necnon orthodoxis omnibus meritò reijcitur. Ipse porrò Crabus, quamuis hoc in loco errorem hunc silentio præterire videatur, eum tamen congruenter ad exemplaria græca, non autem de sua sententia locutum esse, vel hinc clarè liquet, quòd omnia & singula

præfat. huic Synod. Notis in Conc. Florent.

Concilia inter Nicenum secundum, ac Florentinum habita, Generalia vocat, quæ scilicet ab Ecclesia Catholica talia æstimantur: speciatim verò de hoc Lateranensi sic præfatur, *Instituta Generalis Concilij Lateranensis tempore Innocentij Papæ tertij.*

Tandem sectionem hanc ponderosâ hac illatione claudis: *Adeò vt nisi velint bina octaua admittere Concilia Generalia, necesse sit illud Lateranense Generale minimè fuisse:* quæ certè ex iisdem præmissis in hunc modum elici poterat; Adeò vt nisi velint non bina modò, sed nouem octaua Concilia generalia admittere, necesse sit Constantinopolitanum quartum, Lateranensia quatuor, duo Lugdunensia, alterum quoque Florentinum, aut ex his saltem vnum aliquod Generale minimè fuisse, Horum autem vllum generale non fuisse, falsum quidem consequens est, sed octauum minimè extitisse verissimè asseritur: vnde nec Catholicorum quisquam Florentinum aut Lateranense octauo loco reponunt, sed hoc quidem duodecimo, illud autem vulgò decimo sexto. Cæterùm vt cum *octauo*

numero, qui tibi tantopere placet, tandem in gratiam redeamus, (quandoquidem *vos numeri sumus*) meâ quidem sententiâ, quisquis hanc obiectionem primus elucubrauit, (namque tibi gloriam hanc non temerè præreptam suspicor,) sapientum *octauus* optimo iure censebitur: idque sine riuali, non erunt duo, maximè si grandior sit qui ad dignitatis huius consortium aspirat, eo quippè casu nullatenus fieri posse, vt in ordine numeri inter octauum & nonum intrudatur, te præceptore acuto didicimus.

COSENVS.

PRæterea si vniuersale fuit hoc Concilium, vnde factum est vt illius canones nunquam fuerint vniuersaliter recepti? quemadmodum apud nos in Ecclesia Regnoque Angelicano, nunquam fuisse constat: quod secus proculdubio accidisset, si tunc temporis, Concilium illud, Vniuersalis Concilij famam obtinuisset; aut illius canones, sub eo nomine, per terrarum orbem diuulgati fuissent. At

apud nos in Anglia ab eo ipso tempore, & contra eius canonem prætentum 46. mos inualuit, vt subsidia Regi soluerentur *inconsulto Pontifice*. Et aduersus canonem 41. nobiscum *currit præscriptio*, quantumuis multoties *ex bona fide ortum non habeat*. Iterumque Clericorum bona qui de hæresi conuicti sunt, non *in vsum Ecclesiæ*, sed fisco Regis constantissimè addicta sunt, quicquid in oppositum faciat prætenti Concilij canon tertius.

Responsio.

Vniuersalitatem porro huius Concilij hinc improbare pergis, quòd illius canones nunquam vniuersaliter recepti fuerint; vt de regno quidem Angliæ tribus argumentis ostendere conaris: quæ sicuti nuda ac sine probatione vlla à te proposita sunt, ita nec omnino quicquam probant. Non enim vniuersalis canonum receptio, Concilij alicuius generalitatem efficit, sed illius ex omnibus christiani orbis partibus indictio, qualem fuisse huius de quo nunc agitur, supra ostendimus.

Aliàs profectò nullum omnino generale reputari posset, non modò tunc cùm indiceretur, aut actu sederet, sed ne quidem postquam dissolutum esset, priusquam constaret ab omnibus toto terrarum orbe receptum fuisse: quæ sanè conditio nulli vnquam Concilio accidit, cùm nunquam defuerint hæretici (aduersus quorum praua dogmata, omnia fere celebrata sunt Concilia) qui eorum singula, si non ad vnum omnes, ex ijs saltem nonnulli, suscipere recusarent. Adeò vt erudito hoc tuo generalis Concilij charactere, omnia quotquot vnquam extiterunt funditùs euertisti. Vt namque verbi gratiâ prima illa quatuor commemoremus, quæ etiam à vobis ore tenus prædicantur, cedo sodes, num eorum canones vniuersaliter recepti sunt? Immò verò contrà, manifestum est ab ijs omnibus hæreticis fuisse reiectos, ad quorum errores damnandos dicta Concilia celebrata sunt.

Ratio porrò illa quâ probare conaris; Concilij huius Lateranensis canones haudquaquam vniuersaliter fuisse receptos, quia nimirum eos Anglia

nunquam receperit, etiamsi vera foret, consequentia tamen vacillat: frausque tua ac hallucinatio latere deprehenditur in ambiguitate vocis, *Canonum*, quorum quidem alij ad fidem spectant, alij ad mores & ecclesiasticam disciplinam. Vt enim Concilium aliquod vniuersaliter recipi censeatur, necesse non est vt ij singuli qui de reformatione morum sunt, ab omnibus orbis christiani regnis accipiantur; satis est ad Generalis Concilij nomen, promerendum, (quantum ad hoc facit vniuersalis canonum receptio) si qui ad fidem pertinent, vbique gentium recipiantur. Exempli causa, Sacrosancti Concilij Tridentini decreta quæ de regimine Ecclesiastico lata sunt, in regno Galliæ minimè vigent, quod tamen (simul cum omnibus quoquouersum Catholicis regnis) quæ ad fidem spectant æquo animo amplectitur & veneratur, ob eamque causam Concilium illud nihilo minus Generale esse agnoscit. Ex quibus magis magisque detegitur ignorantia tua, qui in his quæ ad Concilia generalia spectant, vsque adeò sciolus es, vt ne nomen quidem,

iuxta Catholicum & orthodoxum illius vsum callere videaris. Iam verò nemini dubium esse possit, quin Angliæ regnum, Concilij huius decreta, canonesque quæ ad fidem spectant, sine vlla hæsitatione susceperit, cæteroquin olim velut hæreticum ab Ecclesiæ Catholicæ communione, vti impræsentiarum præscissum fuisset. Quòd autem reliqua Concilij huius decreta, ad Ecclesiæ regimen morumque disciplinam spectantia repudiauerit, non aliunde probas quàm inani verborum flatu, quæ eâdem facilitate quâ tu ea effudisti tibi in os regerrere possim; abundè tamen erroris & inscitiæ tuæ mihi suppetunt argumenta.

Prænotandus tamen est error tuus (ne dicam mala fides) in referendo *prætento* (sic eum namque tibi vocare lubet) canone 46. contra cuius sensum, inquis, subsidia Regi soluuntur, *inconsulto Pontifice.* Quasi verò canon iste qualiacunque Regi subsidia solui vetaret, absque notitia & consensu Pontificis, cùm manifestum sit, de illis solùm intelligendum esse, quæ à Clero ex reditibus Ecclesiasticis persoluenda

forent ; vbi Pontificis Maximi consilium interuenire necesse erat. Quòd autem spectat ad consuetudinem illam tribus hisce canonibus contrariam, quam in Anglia viguisse contendis, etiamsi hoc verum esset (quod equidem non leuiter suspicor, cùm à nonnullis Angliæ legis peritis, de illo saltem præscriptionis capite, oppositum prorsus non semel audiuerim) non tamen illico conficitur, hos canones nunquam ibi fuisse receptos. Fieri namque poterat vt hæc consuetudo inoleuerit, vel ex condonatione Summi Pontificis, vel ex vsurpatione Regum in præiudicium canonum receptorum, vel denique quod ad præscriptionem attinet, ex effrenata populi peruicacia, qui leges quantumcumque sanctas, si deprauatis suis moribus contrariæ sint, numquam æquo animo ferre potest. Atque vtinam Conterranei nostri, illos omnes canones in hunc vsque diem inuiolabiliter obseruassent, quos eâ ætate receperunt, quâ maiori certè quàm nunc dierum pietatis doctrinæque ac prudentiæ laude floruerunt; credo equidem dissertationem hanc

quæ mihi tecum intercedit, facili negotio componendam fuisse, aut nunquam potiùs exorituram.

Iam verò contra nudam hanc assertionem tuam, euidenter ostendo, Concilij huius canones, cùm qui ad fidem spectant, tum qui ad mores, in Anglia fuisse receptos. Primùm testimonio Linvuodi, necnon authoritate Legum municipalium Regni, prout à *Francisco à Sancta Clara* referuntur, in Articulo suo de *Transubstantiatione*. Secundò, authoritate supra laudati Concilij Oxoniensis, ab Archiepiscopo Cantuariensi septem duntaxat annis post hoc Lateranense conuocati, omniumque ab illo primi, quæ vllibi gentium celebrata noscuntur: vbi sic habetur. *Vt autem omnia fine bono concludantur, Lateranense Concilium sub sancto recordationis Papa Innocentio celebratum, in præstatione decimarum, & in alijs capitulis præcipimus obseruari.* Ex quibus clarè liquet quàm longè à veritatis scopo aberraueris, asserendo Concilij Lateranensis Canones nunquam fuisse in Anglia receptos: sicuti nihilo minùs in sequentibus aberras, dicendo.

Binij tom. 7. part. 2. pag. 833.

COSENVS.

DEnique vix crediderim probatam vllam historiam, ad astruendum huius prætenti Concilij titulum, proferri posse, Patriarchas Hierosolimitanum & Constantinopolitanum, & septuaginta insuper Metropolitanos ei interfuisse: quanquam neque illud sat erit ad Vniuersalis Concilij nomen ac dignitatem huic conciliandum, ob absentiam nimirum relinquorum Patriarcharum Antiocheni & Alexandrini, quos interfuisse non fertur. Vt vt se res habet. *Nihil ibi actum, quod quidem constet*, adeò vt non modò non vniuersale, sed ne Concilium quidem omnino fuit.

RESPONSIO.

QVid tu credas non magni refert; scio etenim plures hæreses erroresque à te credi, è quorum numero est quod ais, *nullam proferri posse probatam historiam, quâ astruatur Patriarchas Ierosolimitanum & Constantinopolitanum*

huic Concilio interfuisse, &c. Duplici modo censetur quis alicui Concilio interesse, in propria scilicet persona, vel per legatum; quòd autem duo nominati Patriarchæ priori modo adfuerint, testantur Platina, Paris, & Vrspergensis; reliquos verò duos posteriori modo per legatos adfuisse, cum septuaginta plus Metropolitanis; quinetiam innumeros ferè Archiepiscopos, Episcopos, Abbates ac Priores, quà per se, quà per vicarios suos, simul cum vtriusque Imperatoris, omniumque propemodum Christiani orbis Regum Principumque, necnon celebriorum vrbium Oratoribus, fidem faciunt Paris & Vrspergensis; quos probatos esse historicos haud (credo) inficiaberis; maximè verò Platinam & Parisiensem, quorum operâ iam antea in extrema egestate tua vsus es, ad improbandos (vt tibi videbatur) huius Concilij canones: de quo iisdem ferè verbis loquuntur Paris & Vrspergensis in hunc modum. *Anno ab Incarnatione Domini* 1215. *celebrata est Sancta Vniuersalis Synodus Romæ, in Ecclesia Saluatoris quæ Constantiniana vocatur, mense Nouem-*

Paris hist. ma. pag 188. l c. Vrsperg. Chronic. pag. 320.

bris, præsidente Domino Innocentio Papa tertio, pontificatus eius anno 18. in quo fuerunt Episcopi 412. inter quos extiterunt de præcipuis Patriarchis duo, videlicet Constant: & Hieros: Antiochenus autem graui languore detentus venire non potuit, sed misit pro se Vicarium, Anthedarensem Episcopum: Alexandrinus verò sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Diaconum suum Germanum; Primates autem & Metrapolitani 71. cæterùm Abbates & Priores vltra octingentos; Archiepiscoporum verò & Episcoporum, Abbatum & Priorem, & Capitulorum absentium Procuratorum non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum verò Regis Siciliæ in Romanorum Imperatorem electi, Imperatoris Constantinopolitani; Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Vngariæ, Regis Hierosolymitani, Regis Cypri, Regis Arragoniæ, necnon & aliorum Principum, Magnatum ciuitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo. Hic iam erronea tua fides luculenter satis ampleque redarguitur; ita vt vehementer admiror quibusnam de hoc Concilio historijs versatus fuisti, his quas commemoraui

moraui prætermissis; præsertim verò Platinæ ac Parisiensis, quorum hic quidem summorum Pontificum amicissimus fuit, ille verò *ipsi Pontifici Maximo ab Epistolis.* Quamobrem non temerè suspicor, te has objectiuncularum lacinias ex aliorum scriptis corrasisse, à quibus miserum in modum deceptus, audaciæ & credulitatis tuæ debitas pœnas luis. Hoc itaque Concilium, cui rursus intempestiuè adeò ac impudenter insultas, *prætentumque* appellas, velis nolis verè Generale & œcumenicum reputabitur, ab optima semper multoque maxima totius orbis parte, Catholicâ Ecclesiâ, dum aliæ omnes Ecclesiæ *prætentæ*, eorum Conciliabula canonesque, cum Pseudo-episcopis, Decanis, Capitulis, similibusque nænijs & laruis, qualia sunt vestræ, nullam apud posteros memoriam, nisi cum summa infamia dedecoreque coniunctam obtinebunt.

Pergis denique, ac pro more tuo,

mirum rursus in modum decipiaris; cùm alioquin prima quatuor Concilia, quibus primus omnium Patriarcha Romanus Pontifex non nisi per Legatos intererat, pro generalibus non sint habenda; quod à communi omnium orthodoxorum, imò & Protestantium Anglorum sensu alienum est: nisi vsque adeò ineptire velis, vt vnius quidem absentiam, non tamen duorum, citra vniuersalitatis dispendium ferri posse putabis; maximè si ille vnus Romanus sit Pontifex, cuius absentiam non à Concilijs solis, sed etiam ab orbe terrarum æquissimo animo feres. Veruntamen non mediocrem mihi admirationem affert, te scilicet, quem cæca sanè fortuna, *prætentum* Decanum Burgi Sancti Petri, *& prætentum* Rectorem Collegij Sancti Petri instituit, odio tam implacabili Sancti Petri Cathedram insectari. Quòd si deposito magistrali fastu, tantisper animum applicare velis ad acuratiorem Conciliorum Generalium notitiam acquirendam, & quæ ea sint impedimenta quò minùs Concilium aliquod *Generale* dicatur, (quod tamen priùs factum par

esset quàm in censuras tam acerrimas insurgeres) ne graueris Turrecrematæ & Cani super hac re opuscula, diligenti studio percurrere.


Tandem aliquando finem huic tuo bello libello hunc in modum imponis: *Vt vt se res habet, nihil ibi actum quod quidem constet, sicque à Concilio Generali tantum aberat, vt ne quidem Concilium omnino fuerit.* Primùm, assertio hæc tua planè falsa est, nullâque authoritate suffulta, nisi hominis omnium leuissimi, tuâ; quam tamen maioris energiæ gratiâ, diuerso characteris genere, velut grauissimi cuiusdam authoris Apothegma denotasti; cuius cùm neque nomen nec locum vnde desumpta referre digneris, æquum est vt cerebelli tui propaginem existimem, eamque proptereà vt spuriam reijcio. Deinde si verum hoc esset, *nihil ibi actum esse*, quî tamen sequitur, nec Generale quidem nec Concilium omnino fuisse? De validitate certè necnon

Generale nec Concilium omnino fuisse. Et quàm immeritò, & citra omnem veritatis vmbram asserere non vereris, *nihil ibi actum esse*, totâ hac oratione luculentissimè probaui. Solùm addam Mathæi Parisiensis de hoc Concilio testimonium; qui licet huic Pontifici (vt supra memoraui) infensissimus erat, de hoc tamen Concilio scribens, loco supra citato sic loquitur. *His omnibus congregatis in loco præfato, & iuxta morem Conciliorum Generalium in suis ordinibus singulis collocatis, facto prius ab ipso Papa exhortationis sermone, recitata sunt in pleno Concilio capitula* 60. (vbi obiter aduertandum, circa numerum irrepsisse mendam, legi namque deberet 70.) *quæ alijs placabilia, alijs videbantur onorosa. Tandem de negotio Crucifixi & subiectione terræ sanctæ verbum prædicationis exorsus subiunxit dicens. Ad hæc ne quid in negotio Iesu Christi de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, &c.* Sicque Decretum Expeditionis prò recuperanda terra sancta copiosè prosequitur. Ex quibus, quamplurima in hoc Concilio gesta fuisse, apertissimè demonstratur; imò verò ad vnum

omnia quæ ei paſſim aſcribuntur. Denique quod ad nomen ſpectat, Concilium idque Generale nuncupatur ab Vrſpergenſi, Pariſienſi, Platina, Crantzio, Nauclero, Beluacenſi, reliquiſque omnibus (quos inuenire potui) qui de eo quidquam ſcriptis mandarunt, te vno irrefragabilis auctoritatis excepto. Quodque ſummum eſt, Sanctæ Catholicæ Eccleſiæ approbatione commendatur, vnicæ ſcilicet Chriſti Sponſæ, veritatis, ſapientiæ, ſolicitudinis denique ac reuerentiæ dignitate, quaſlibet hæreticorum ac ſchiſmaticorum ſectas immenſis paraſangis præcellentis: quorum perverſa dogmata turpeſque contumeliæ, quæ in illam ore ſacrilego ventilantur, cui ſuper omnia fidem habere ac venerari deberent, maximè ſi harum obiectionum inſtar cum pertinacia fiat, execratione digniora quàm refutatione cenſenda ſunt.

Nihil itaque reſtat, quàm vt huic reſponſioni Surij verbis colophonem ad-

tinæ & Græcæ Ecclesiæ concordiâ tractatum est; cuique interfuere Patriarchæ Constantinopolitanus & Hierosolymitanus, & Archiepiscopi tum Latini tum Græci 70. Episcopi 412. Abbates & Priores plus 800. simul omnes Prælati 1215. aut eo plures. Nec defuere Legati Græci & Romani Imperatoris, Regum Hierusalem, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, & aliorum. Quòd si verò ea cuiquam minus ponderis habere videatur, quod recentior sit, ille certè Christum mendacem facere velle videtur, qui perennem præsentiam suam promisit Ecclesiæ suæ, & Spiritum Sanctum suum spiritum veritatis qui cum illa maneat in æternum. Manet sua semper Catholicæ Ecclesiæ auctoritas, quam quisquis contemnere ausus est, non ille efficit vt ea minor sit, sed se dignum reddit, qui eius pondere penitus opprimatur.



FINIS.